

Historia de preliis Alexandri Magni

Leo Neapolitanensis

PROLOGUS

1. Certamina vel victorias excellentium virorum infidelium ante adventum Christi, quamvis exstitissent pagani, bonum et utile est omnibus Christianis ad audiendum et intelligendum tam praelatis quam subditis, videlicet saecularibus et spiritualibus viris, quia cunctos ad meliorem provocat actionem. Nam prelati, id est rectores, legendo et considerando, quemadmodum praedicti pagani idolis servientes agebant se caste et fideliter atque in omnibus se inreprehensibiliter ostendebant, per eorum exempla bonorum operum ita acuunt mentes suas, eo quod fideles et membra Christi esse videntur, ut multo magis meliores se illis demonstrent in castitate et iusticia atque pietate. Subjecti vero, id est milites sub militia constituti, legendo vel audiendo talia certamina et operationes commilitum suorum, qui magis daemonibus quam deo militabant, certent se prudentiores ostendere illis in omni opere bono, sicut decet militibus Christi. Nam dominis carnalibus pure et fideliter secundum praeceptum apostoli deserviant, deo vero, creatori suo, tota mente ita decertent famulari custodiendo precepta eius, nulli umquam violentiam facientes aut aliena auferentes, sed in sua substantia (h)abundantes, sicut precursor et baptista Christi, beatus Johannes, in evangelio precepit, ne, quod absit, militando saeculo alienentur a militia caelesti. Licet namque et spirituales homines audire, quae et qualia certamina vel quam benignas operationes propter amorem saeculi in se habebant pagani ab initio usque ad adventum Christi, ut merendo considerent, quam sapientes et pios viros tunc possidebat diabolus excecando mentes illorum, ne suum agnoscerent creatorem et servirent creaturae potius quam creatori, et ideo intellegebant, quam iustum et necessarium fuit humano generi adventus Christi, quia secundum sacram scripturam, si nos non visitasset ex alto redemptor noster demonstrando se ipsum nobis viam salutis, per quam salvaremur, ut eum solum in trinitate adoraremus ipsumque verum creatorem omnium agnosceremus, funditus nos omnes in aeternum perieramus. Quapropter pura mente cum apostolo admirando proclamemus: 'O altitudo sapientiae et scientiae dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius.' Et iterum cum psalmista requirentes exclamemus: 'Quis loquitur potentias domini et auditas faciet omnes laudes eius?' Subaudis: nemo.

2. Interea regnantibus Constantino et Romano, magnificis imperatoribus Christianorum, et principatum ducatus totius Campaniae domnantibus Johanne et Marino, excellentissimis ducibus atque consulibus, quibus quaedam necessitas accidit transmittendi missum suum usque Constantinopolim ad eosdem prefatos imperatores, et tunc miserunt illuc Leonem archipresbiterum valde fidelem. Quo pergente in eandem Constantinopolitanam urbem coepit inquirere libros ad legendum. Inter quos invenit historiam continentem certamina et victorias Alexandri regis Macedoniae. Et nullam negligentiam vel pigritiam habendo sine mora scripsit et secum usque Neapolim deduxit ad suos predictos excellentissimos seniores et ad praeclaram et beatissimam coniugem eius, Theodoram videlicet senatricem Romanorum, quae die noctuque sacrae scripturae meditabatur. Viduarum namque et orfanorum atque diversorum advenarum protectrix indeficiens permanebat. Quae iuvenili aetate cursum vitae finiens infra tricesimum octavum annum migravit ad dominum. Post cuius transitum praefatus Johannes, excellentissimus consul et dux,

vir eius et deo amabilis, statuit mente sua ordinem scripturarum inquirere et praeclare ordinare. Primum vero libros, quos in sua dominatione invenit, renovavit atque meliores effectus, deinde anxie inquirens sicut philosophus, quoscumque audire vel habere potuit, sive rogando seu precando multos et diversos libros accumulavit et diligenter scribere iussit. Maxime ecclesiasticos libros, Vetus scilicet atque Novum Testamentum, funditus renovavit atque composuit. Inter quos historiographiam videlicet vel chronographiam, Joseppum vero et Titum Livium atque Dyonisium, caelestium virtutum optimum predicatorem, atque ceteros quam plurimos et diversos doctores, quos enumerare nobis longum esse videtur, instituit. Eodem namque tempore commemorans ille sagacissimus predictus consul et dux pefatum Leonem archipresbiterum habere iam dictum librum, historiam scilicet Alexandri regis, vocavit eum ad se et de Greco in Latinum transferri precepit, quod et factum est, sicuti sequentia docent, omnibus vero laborantibus tam doctoribus quam scriptoribus bonum retribuens meritum pro salute animae et memoria nominis sui.

NATIVITAS ET VICTORIA ALEXANDRI MAGNI REGIS LIBER PRIMUS

1. Sapientissimi namque Egiptiorum scientes mensuram terrae atque domantes undas maris et caelestium, id es stellarum, ordinem computantes tradiderunt universo mundo altitudinem doctrinae in magicis virtutibus. Dicunt autem de Nectanebo, quomodo subito hostes sicut nubes venissent super eum; in hoc enim non movit miliciam nec arma nec artificia ferri, sed intravit palatium apprehenditque concam eream, ponens ibi aquam pluvialem, tenens in manu virgam [eb]eneam et per magicas artes vocabat daemones et per istam magicam artem incantations videbat atque intellegebat in ipsa conca navidia, quae super eum veniebant.

2. Erant enim speculatores in partibus Romaniae; venit quidam ex eis ad eum dicens: 'Magnissime Nectanabe, venis super te multitudo non parva dena milia inimicorum. Sunt ibi Scithei et Cones, Ibires, Stidi, Arabes, Oxidrakes, Lampasidri, Lisanii, Bosphori arghi, Chaldei, Sarbii atque Agriophagi et quantae gentes sunt in oriente magnae et sine numero.' Hoc dicendo princeps miliciae subrisit Nectanabus et dixit: 'Tu enim custodiam, quam tibi credo, bene et vigiliter observa; at tamen non sicut miles responsum dedisti, sed sicut pavidus homo. Virtus enim non paret in multitudine populi sed in promptitate. An nescis, quia unus leo multos cervos persequitur?'

3. Haec dicens reversus est in palacium et precepit omnibus, ut exirent inde. Ille autem solus tulit concam aqua plena, mittens ibi navidia cerea, tenens in manu virgam palmae et totis viribus incantare coepit et respexit in ipsa conca; vidit, quia dii Egyptiorum gubernabant in navibus barbarorum. Statim rasisit sibi caput et barbam, ut tranfiguret se; tulit aurum, quantum portare potuit, et fugit de Egipto per Pelusium induens se linea vestimenta, hoc est sindones, quasi propheta Egiptius atque astrologus, et venit Macedoniam sedensque palam divinando omnibus, qui pergebant ad eum. Egiptii autem ut viderunt, quit Nectanabus non inveniebatur, perrexerunt ad [I]festum deum illorum et rogaverunt eum, ut manifestaret eis, quid vel ubi esset rex Egiptiorum. Ille autem dixit: 'Fuga lapsus est de Egipto; post aliquantum tempus

debet venire iuvenis eiciendo a se senectutem, et faciendo se saecularem defensorem inimicorum veniens ille subiectos faciat vos.' Istam divinationem recipientes Egiptii scripserunt et sculperunt illud in marmore ad memoriam.

4. Nectanebus autem manens in Macedonia Philippus (h)abiit in prelium. Post haec perrexit Nectanebus palatium et vidit pulchritudinem Olimpiadis; iaculatum est cor eius in concupiscentiam illius; tetendit manum suam salutans eam et dicens illi: 'Gaude, regina Macedonum,' dedignans illam appellari dominatricem. Ad haec dixit illi Olimpiadis: 'Gaude, benignissime magister. accede propius et sede.' Ubi autem sedit, interrogavit eum Olimpiadis: 'Verene est, inquit, quod Egiptius sis?' Respondit illi Nectanebus: 'Verbum pulchritudinis et regale dixisti. Sunt enim sapientes, qui etiam somnia interpretaverunt, signa solverunt, volatilia intellexerunt, secreta intelligentes atque manifesta divinantes, fatum nascentium dicentes. Ego itaque sensu subtilissimo de his omnibus notus factus sum sicut propheta atque divinator.' Haec dicens respexit eam sensu concupiscibili. Dixit itaque illi Olimpiadis: 'O propheta, quid cogitasti sic respiciendo me?' Nectanebus inquit: 'Recordatus sum pulcherrimam divinationem; etenim auditus sum a proximis diis, quia debeo intueri reginam.'

Proferens de sinu suo mirificam tabulam, quam interpretari nulla locutio poterit, mixtam ebano atque eburneo seu auro et argento continentem in se circula. Primus circulus continebat intelligentias decem; secundus circulus habebat feras duodecim; medius circulus habebat solem et lunam. Post haec aperuit cantram eburneam, proferens ex ea septem lucidissimas stellas exploratrices horarum ex octo lapidibus artificatis, per quas composuit hominem. Dixitque illi Olimpiadis: 'Si vis, ut credam tibi, dic mihi annum et diem et horam nativitatis regis.' Ad haec Nectanebus cepit computare nativitatem regis et eiusdem reginae dicendo talia: 'O regina, quid vis audire?' At illa dixit: 'Dic mihi, quid debet fieri inter me et Philippum, quia dicitur, si reversurus fuerit ex prelio, eiciat me aliamque accipiat uxorem.' Cui ille: 'Falsidica sunt haec verba, non veridica; at tamen post aliquantum tempus factum erit.' Cui illa: 'Obsecro, ut dicas mihi omnem veritatem.' Respondit ille: 'Unus ex potentissimis diis concumbet tecum et adiuvabit te.' At ille dixit: 'Et quis est ille deus, qui concumbet tecum?' Nectanebus inquit: 'Ille est Ammon, qui largitur divicias in omnibus.' Dixitque illa: 'Et quam figuram habet?' Cui ille: 'Neque iuvenis neque vetulus, sed in media aetate consistit habens in fronte cornua [arietina], canos barbamque ornatam. Unde si tibi placet, esto perparata illi, quia in somnis videbis illum et in ipso somno concumbit tecum.' Dixitque illa: 'Et si hoc videro, non quomodo prophetam aut divinum, sed sicut deum adorabo te.'

5. Haec dicens Nectanebus exiit continuo et abiit in desertum, atque evellens herbas et trituans ea tollens sucum fecitque incantationem Olimpiadis per somnium, ut veraciter videret in somno Ammonem deum concumbentem secum. Quod et factum est. Postquam surrexit ab ea, dixit illi: 'Mulier, concepisti in utero defensorem tuum.'

6. Mane autem facto cum surrexisset a lecto, fecit venire ad se Nectanebum, recitans illi somnium, quod viderat. At ille dixit: 'Omnia scio; faciamus aliquod arbitrium, quia aliud est somnium atque alium veritas. Iste deus quando veniet, figuram habebit draconis, postea humanam formam in mea similitudine.' Ad haec Olimpiadis: 'Bene dixisti, propheta. Recipe cubiculum, et ego, si viderio hoc veraciter, habebo te quasi patrem pueri.'

7. Ubi factum est hoc signum, cum surrexisset ab ea, percussit eam in utero dixitque illi: 'Haec conceptio sit victorialis et nullomodo subiugabitur.' Cum autem coepisset uterus eius intumescere, vocavit Nectanebum et dixit illi: 'Propheta, quid debet facere Philippus, si redierit?' Cui Nectanebus: 'Noli expavescere, ego ero in adiutorium tui.' Taliter suasa est Olimpiadis adulterando se ab homine quasi a deo.

8. Inter haec apprehendit avem marinam suadendo Philippum per somnium. Statim apparuit ei, quasi videret concumbere Ammonem deum cum Olimpiade ac dicere: 'Mulier, concepisti in utero defensorem tuum et de patre suo Philippo,' et quasi videret celata membra illius consuere atque signare aureo anulo. Ipse vero anulus habebat lapidem sculptum, caput leonis et claritatem solis atque gladium. Haec videns surrexit et convocavit ad se ariolum, qui interpretaretur somnium, quod viderat. Cui ariolus: 'Philippe, scias pro certo, quia concepit Olimpiadis non ab homine sed a deo. Caput namque leonis atque gladius talem intellectum habet, quia ille, qui nasci debet, pertinget usque ad orientem pugnando atque per gladium capiendo civitates.'

9. Inter haec autem pugnavit Philippus et vicit coepitque redire Macedoniam. Obviavit illi Olimpiadis et osculavit eum: intuitus est eam Philippus; dixit ei: 'Cui tu te tradidisti, Olimpiadis? Peccasti in quem? Non peccasti, quia vim sustinuisti a deo. Ego itaque totum hoc per somnium vidi; proinde inreprehensibilis esse videris.'

10. Quadam vero die epulabatur Philippus et letatus est valde. Nectanebus per artem magicam transfiguravit se in formam draconis et per medium triclinium, in quo comedebat Philippus, transiit atque sibilavit terribiliter, qui pavorem et turbationem inmisit in eos, qui conviv[ae] erant, et appropinquans ad Olimpiadem caput posuit in gremium eius et osculabatur eam. Vidensque illud Philippus dixit: 'Olimpiadis, tibi dico et vobis omnibus, qui mecum comeditis: hunc draconem vidi tunc, quando preliatus sum cum inimicos meos.'

11. Post paucos vero dies sedens Philippus solus parva atque mitis avis ascendit in gremium eius et generavit ovum. Cecidit de sinu eius in terram atque divium est; et exiit parvissimus serpens congiratusque est ovum.; voluit introire in eum et, antequam ibi posuisset caput, defunctus est. Ubi hoc factum est, turbatus est Philippus et fecit venire ad se ariolum et recitavit id, quod viderat. Cui ille: 'Rex Philippe, nascetur tibi filius, qui debet regnare et circumire totum mundum subiugando omnes et, antequam revertatur in terram suam, in parvis annis morietur.'

12. Appropinquavit tempus parturiendi Olimpiadis, et coepit dolere uterus eius, fecitque venire ad se Nectanebum. Et cepit computare dicendo: 'Subleve te de sedio tuo paululum, Olimpiadis, quia hac [h]ora omnia elementa conturbat sol.' Et post paululum peperit Olimpiadis, et ubi puer cecidit in terram, statim facta sunt fulgura atque tonitrua seu terremotus.

13. Quod cum vidisset Philippus, dixit: 'O mulier, cogitavi in corde meo, ut nullomodo enutritetur iste infantulus, quia non est ex me conceptus. At tamen [quia] intelligo, quia a deo est conceptus, et in partu eius video mutari elementa, nutriatur in memoriam, quasi proprius sit meus filius et quasi sit ille, qui mortuus est mihi ex alia uxore, imponaturque ei nomen Alexander.' Haec dicens Philippus coeperunt nutrire sub omni diligentia infantulum.

Figura illius neque patri neque matri assimilatur, sed propriam figuram suam habet. Coma capitis eius sicut leo; oculi eius non similibantur ad alterum, sed unus

est niger atque albus est alter. Dentes vero eius erant acuti, impetus vero illius sicut leo fervidus; et qualis debebat in posterum fieri, figura illius significabatur. In scolia itaque, ubi sedebat cum condiscipulis suis, pugnabat cum eis atque vicit eos.

In ipsis temporibus quidam principes Cappadoces adduxerunt Philippo polletrum magnum ligatum ex omni parte diversis ligaturis; comedebat enim homines. Intuitus autem Philippus pulchritudinem eius et dixit: 'In hoc caballo significabitur signum sive bonum sive malum. Veniant denique homines mei et recipiant hunc polletrum et preparentur illi cancella ferrea atque ibi recludatur, ut et raptores et latrones seu qui male faciunt et qui debent comedi a feris, comedantur ab isto caballo.'

14. Ubi factus est Alexander annorum duodecim, instruebatur cum aliis militibus quasi ad pugnam, qui etiam videns Philippus velocitatem eius placuit ei et dixit: 'Fili, diligo velocitatem tuam atque ingenium, sed tristis existo, quia figura tua non assimilatur mihi.' Quod ut vidit Olimpiadis, quia tristis erat in hoc Philippus, vocabat Nectanebum et dixit illi: 'Perscrutare et intellige, quid cogitat de me facere Philippus.' Coepit computare et dixit: 'Cogitatio illius erga te munda est. Sol itaque respicit in quandam stellam separando desiderium suum.'

Alexander tunc ibi erat et, ubi hoc audivit, dixit: 'Pater, hae stellae, quas tu computas, parent in caelo?' Cui Nectanebus: 'Etiam, fili.' Alexander dixit: 'Et possum eas videre hora serotina?' Cui Nectanebus: 'Sequere me hora noctis in campo et ostendam tibi.' Alexander dixit: 'Pater, et fatum tuum agnoscis?' Cui Nectanebus: 'Etiam fortiter.' Alexander dixit: 'Ars bona est et opto illam scire. Et quam mortem debes facere?' Cui dixit: 'A filio meo moriar.'

Totum hoc dicendo secutus est eum Alexander per noctem extra civitatem. Cui dixit Nectanebus: 'Fili, respice stellas et vide stellam Herculis, quomodo tristis est; et stella Hermi leta est; stella itaque Jovis clara est.' Sic respiciendo sursum Nectanebus accessit ei propius Alexander et fecit impetum in eum atque proiecit eum in foveam. Et dixit illi: 'Non tibi meruit hoc, nesciendo terrenas causas; quare voluisti te intermittere de caelestibus elementis?' Cui Nectanebus: 'Cognitum mihi fuit hoc, quia sic mihi debuit evenire; tamen non potui evadere, ut mihi hoc non eveniret.' Alexander dixit, quia: 'ego filius tuus sum?' Cui Nectanebus: 'Tu es meus filius.' Ubi cognovit Alexander, quia ipse esset pater eius, dubitavit eum dimittere in foveam, sed elevavit eum in humeris suis atque portavit corpus eius in palatium. Quod ubi vidit Olimpiadis, dixit: 'Fili Alexander, quid est hoc?' Cui ille: 'Corpus Nectanebi est.' Et illa: 'Nectanebus pater tuus fuit.' Dixit ille: 'Quemadmodum stultitia tua fecit.'

15. Inter haec autem cognovit Philippus per divinationem, quis deberet regnare post mortem illius, et expectabat fidutiam caballi.

16. Alexander itaque factus est audax et fortis.

17. Transiit per eum locum, in quo stabat ipse indomabilis caballus, viditque illum conclusum esse inter cancella ferrea et ante eum iacentem summa[m] manuum ac pedum hominis, quae illi superfuerat, et miratus est misitque manum suam per cancellas. Statim extendit collum suum ipse caballus et coepit lambere manum illius atque complicatis pedibus proiecit se in terram, tornansque caput respexit Alexandrum. Intelligens itaque Alexander volutatem caballi aperuit cancellum et coepit mansuete tangere dorsum eius manu dextra. Statim caballus coepit mansuescere amplius; ut cum quando blanditur domino suo canis, sic et ille blandiebat Alexandro. Inter haec autem ascendit super eum et equitando exiit foras.

Cum autem vidisset eum Philippus, dixit: 'Fili, Alexander, omnem divinitatem modo cognovi in te, quia te debes fieri rex post meam mortem.'

18. Inter haec autem factus est Alexander annorum quindecim et dixit ad Philippum: 'Pater, si potest fieri, dirige me sedentem in curru.' Dixitque illi Philippus: 'Gratum accipio, fili, daboque tibi caballos centum et quadraginta dena milia aureorum solidorum, et vade cum bono auxilio.' Exivit deferens secum paramentum et precipiens, ut mitterent studium de caballis, una cum Efestio philosopho, amico suo; veniente itaque in Poloponinsu, ut faceret pugnam cum Nicolao, rege ipsius proventiae; ubi autem vidit eum Nicolaus rex, dixit: 'Dic mihi, quis es tu?' Cui ille: 'Ego sum Alexander, filius Philippi.' Cui Nicolaus: 'Quem speras me?' Dixit Alexander: 'Tu es Nicolaus, rex Arideorum.' Item Alexander: 'Non elevetur cor tuum in superbia, quia habes honorem regalem super te. Solet enim inveniri in humano fatu, quando maior perveniet ad parvitatem et parvus perveniet ad magnitudinem.' Cui Nicolaus: 'Bene dixisti, temet ipsum nescis tu; natura enim mea inreprehensibilis est. Tamen dic mihi veritatem: quare in has partes venisti?' Cui Alexander: 'Recede a me, o homo, quia neque tu habes aliquid adversum me, nec ego adversum te.' In hoc autem iratus est valde Nicolaus et dixit: 'Vide, quali homini loquor! Per salvationem iuro patris mei, si impetum spum[a]e eicio in faciem eius, morietur.' Et expuit ad eum et dixit: 'Tolle hoc, quod tibi decet, catule, accipere, quia non erubescis.' Ille autem continuendo se secundum doctrinam nativitatis suae dixit: 'Nicolae, iuro tibi secundum doctrinam nativitatem meam et per uterum matris meae a deo conceptum, quia et hic per currea arma vincam te et patriam tuam per arma suiugabo mihi.' Et separati sunt abinvicem.

19. Et post paucos dies venit constitutus dies, in quo coniuncti sunt ambo ad pugnam. Sonaverunt tubas facientes signum pugnandi, et omnes unanimiter moti sunt iungendo se ad pugnam; quos omnes Alexander manu propria occidit. Ubi vicit ipsam pugnam, ordo militaris coronavit eum et caballos eius, et ad patrem suum reversus est cum victoria.

20. Invenitque Philippum, patrem suum, quomodo eiecit matrem suam et sociavit sibi cuiusdam hominis filiam nomine Cleopatram. Et sic sedens in nuptiali convivio ingressus est Alexander et dixit: 'Pater, recipe a me de priori mea pugna victoriam coronam. Tamen quando celebraturus sum nuptias matris meae iungendo illi regem maritum, tu in ipsis nuptiis invitatus non eris.'

21. Unus autem ex discumbentibus, cui nomen Lisias, dixit: 'Philippe, ex Cleopatra nascetur tibi filius similis tui.' Ubi hoc audivit Alexander, percussit eum cum baculo, quem tenebat in manu, et occidit. Videns hoc Philippus iratus est et erexit se atque in ipso impetu cecidit. Dixit Alexander: 'Philippe, qui subiugasti Asiam et Europam, quare super tuos pedes non stas?' In hoc itaque tempore exturbatae sunt ipsae nuptiae.

22. Et Philippus egrotabat; et post paucos dies introivit Alexander visitare illum et dixit: 'Philippe, quamvis non sit lex, ut te vocem ex nomine, non tibi loquor ut filius, sed ut amicus. Fac bene mulieri, cui male fecisti, et non sit tibi curae, quia occidi Lisiam. Bene feci, tu autem male fecisti, quia impetum fecisti in me, ut percuteres me gladio.' Et flevit Philippus. Et ubi vidit patrem plorantem, dimisit eum et (h)abiit loqui matri suae, cui et dixit: 'Mi mater, noli tenere malam voluntatem patris, quia, quamvis absconditum sit peccatum tuum, reprehensio tua stabit. Bene est, ut uxor

semper subiecta sit suo marito.' Haec dicens portavit eam patri suo.

23. Et post paucos dies venerunt reguli missi a Dario imperatore ad Philippum querendo censum [consuetum]. Ubi vidit eos Alexander, dixit: 'ite, dicite Dario: quando Philippus non habebat filium, gallina generabat ei ovum aureum, nunc autem nascendo Philippo filius ipsa gallina facta est sterilis.' Haec dicens dedit illis absolutionem et remisit eos ad Darium regem.

Et post haec revellata est Armenia, et direxit illuc Philippus Alexandrum cum hoste, ut expugnaret eam.

24. Tunc erat in Macedonia quidam homo nomine Pausania, velocissimus vir, subiectus Philippo. Iste ipse Pausania concupivit Olimpiadem et fecit consilium; adunavit populum et una cum populo suo ipso manu armata (h)abiit supra Philippum; terga vertit ei, vibrata hasta percussit Philippum in dorso. Tamen quamvis percussus fuisset, statim non est mortuus, sed iacuit in campo semivivus. Et facta est non modica turbatio, sperantes esse eum mortuum. Unde elevatus Pausania in audacia, introivit palatium eius et abstraxit inde Olimpiadem et portabat eam.

Inter haec autem reversus est Alexander de Armenia et invenit maximam turbationem in regno illorum. Et etiam exiit Olimpiadis incognito loco et coepit vociferare ad Alexandrum, filium suum, dicens: 'Ubi est victoria tua, Alexander, ubi fatus, quem a diis accepisti, ut victorialis existeres et vindicares me patremque tuum?' Audito hoc Pausania exiit, ut videret Alexandrum. Ille autem vibrata manu gladio percussit Pausaniam; et statim mortuus est. Venitque illi nuntius, quod et Philippus pater eius mortuus esset; (h)abiit ad eum. Ubi vidit eum Philippus, dixit illi: 'Fili Alexander, iam laetus moriar, quia fecisti vindictam occidendo inimicum meum.' Haec dicendo mortuus est; ploransque mortem patris (h)abiit et sepelivit eum.

25. Cum autem reversus esset a sepulchro illius, altero die effecto sedit in throno patris sui et dixit: 'O iuvenes Macedones, Tracienses et Thessalonicenses atque Lacedaemones et alii, intuemini et videte Alexandrum, et timor barbarorum procul sit a vobis. In me sit, ait, hoc quia et illos subiugabo et in servitio manuum vestrarum ponam illos. Quis ex vobis arma voluerit, tollat ex meo palatio et preparet se ad proelium, et qui noluerit, armet se ex armis suis.' Dixerunt ei seniores: 'Rex Alexander, aetas nostra in senectute posita est; multis annis militavimus patri tuo et non est virtus nobis, ut angustiam ferre valeamus. Unde si tibi placet, recusetur a nobis militia, quam usque [h]actenus egimus.' In hoc respondit Alexander: 'Magis volumus vos habere in militia nostra quam iuvenes, quia iuvenis confidendo in iuventute sua acquirit mortem, senior autem omnia cum consilio facit.' Hoc dicens fecit eos acquiescere, ut essent in militia sua.

29. Et post haec congregata multitudo hostium coepit ire Romam. Principes vero militiae mandaverunt ei sex milia talenta auri et coronas centum novem milia deprecantes illum, ut concederet illis pugnam Calcedonis.

30. Inter haec autem ingressus est Italiam et inde sulcato pelago perrexit Affricam. Principes militiae Affricae rogaverunt Alexandrum, ut desuper illis tollere (n)t Romanorum principes. Verum tamen apprehendit Calcedonem et dixit: 'Vobis dico, Chalcedones, aut pugnate viriliter aut subiugamini sub potestate pugnantium.'

Exiit a Chalcedonia, et praecepit militibus suis, ut ingrederentur cum eo naves et irent Faranitidam insulam, atque ibi recepit divinationem a deo Ammone.

31. Cum autem (h)abiret accipere divinationem ab ipso deo, obviavit ei cervus, praecipitque militibus suis, ut sagittarent eum. Illi vero sagittare nullomodo potuerunt. Ille autem apprehendit arcum et sagittam; dixit militibus suis: 'Sic sagittatis!' Et continuo sagittavit eum, et usque hodie vocatur locus ille Sagittarius.

Inde movit se et abiit in locum, qui dicitur Tafosiri, in quo erant vill[a]e quindecim et habebant flumina duodecim, qui cursu suo ingrediebantur in mare.

32. [vacat]

33. Ibi erant portae clausae et fabricatae. Inter haec autem fecit offerationem Alexander diis deprecans eos, ut facerent illi divinationem de omnibus. Ibi et obdormivit. Et in ipso somno apparuit ei deus Serapis dicens illi: 'Alexandre, potes mutare hunc montem et portare illum?' Cui Alexander: 'Et ubi, domine, possum portare eum?' Cui ille: 'Quo modo iste mons non transferetur de loco suo, sic et nomen tuum nullomodo mutabitur.' Cui Alexander: 'Serapis, dic mihi, quam mortem debeo facere.' Cui Serapis dixit: 'Bona causa est et sine aliqua tribulatione, non scire hominem horam mortis suae. Mortem iustam habes recipere cum potione. Suspectio aliqua non sit in te, qua hora apprehenderit te infirmitas. Morieris in iuventute tua transeundo multa mala.' Ubi audivit hoc Alexander, contristatus est precepitque, ut fabricaretur civitas, imponens illi nomen Alexandria.

34. Dedit comitatum militibus suis, ut irent Ascalonam et expectarent eum. Audierunt Egiptii adventum Alexandri; exierunt obviam illi atque subiugati sunt ei et honorabiliter portaverunt eum Egiptii. Introeunte vero Egiptum invenit ibi regalem statuam ex marmore nigro et dixit: 'Cuius est hec statua?' At illi dixerunt: 'Statua haec Nectanebi, regis Egiptiorum, est.' Quibus ille dixit: 'Nectanebus pater meus est.' Proiecit se et amplexatus est eam atque osculabatur.

35. Inde vero accepta milicia perrexit Siriam. Sirii vero restiterunt ei viriliter pugnaveruntque cum eo atque occiderunt ei milites. Inter haec autem movit hostem et castra metatus est atque obdormivit. Viditque in somno tenere uvam in manu et proiecit eam in terram et tundens calcibus fecit ex ea vinum. Et excitatus est a somno fecitque venire ariolum referens illi somnium. Cui ariolus: 'Hanc civitatem debes apprehendere, quia vinum uvae sanguis intellegitur; et quia eam conculcasti, subiugabitur haec civitas potestati tuae.' Erexit se et congregata milicia coepit pugnare. Et pugnando apprehendit tres civitates et dissipavit eas funditus, qui(a) eciam, qualia mala sustinuerunt Tirii, usque hodie memoratur.

36. Qui vero effugerunt manum illius, abierunt Persidam. (H)abeuntes Tiri Persidam recitaverunt Dario regi presumptionem Alexandri et bonam doctrinam eius. S[c]iscitatus est Darius rex homines ipsos de statu et positione Alexandri. Ostenderunt ei depictam imaginem Alexandri; dedignatus est eam pro parvitate form[a]e eius.

Statim direxit ei speram et virgam curvatam, sed et cantram auream et epistolam tali modo: 'Rex regum terrenorum, parens solis, qui lycet una cum Persidis diis, famulo meo dirigo gaudium. Audivi denique de te, quod pro mea venias inimitia per vanam gloriam. Quapropter precipio tibi turnare gressum et redi ad matrem tuam et requiesce in sinu illius. Qui eciam direxi tibi speram atque curvam virgam cantramque auream, ut exerceas et cogites iocandi causam. Cognosco itaque, quia pauper es et miserrime indiges, sed cito respisce ab hac stulticia et demoniaca quam agis gloria. Tu enim coadunasti quosdam latrunculos et vis conflagrare cum

multitudine Persarum; qui immo cogita, si poteris numerare stellas celi. Si adunare potueris homines totius mundi, non prevalet resistere plenitudini Persarum, quia coequatur arenae maris. Tantum itaque aurum requiescit in Persida, qui vincit caritatem solis. Unde oportet te penitere in hoc, quod operatus es, quia, si in ipsa stulticia perserverare volueris, dirigo ad te vindicatores, qui te apprehendant. Non quomodo filius Filippi, set quomodo principem latronum affigi te cruci precipio.'

37. Hanc epistolam afferentes homines illius precepit eam legere coram suis militibus. Quod audientes sui milites tristati sunt. Quibus Alexander: 'O commilitones, nolite turbari in verbis epistol[a]e. Quare nescitis, quia canes multum latrantes nullum affectum faciunt? Credamus itaque, quia veritatem dicit hec epistola. Set opus est nobis strenue et fortiter pugnare cum illis et non in vacuum, quia diviti[a]e illorum compellunt nos pugnare.' Ubi hoc dixit, precepit suis militibus apprehendere homines ipsos et crucifigere illos. At illi dixerunt: 'Et nos quam culpam habemus?' Quibus Alexander: 'Quare dicitis me male facere? Quod si ego male facio, dicta senioris vestri compellunt me illud facere, qui direxit vos quasi ad latronem.' At illi dixerunt: 'Proinde scripsit Darius haec, quia nescit magnitudinem tuam et quis es tu. Ex quo nos venimus et vidimus intellegibilem imperatorem, postquam redierimus, per nos erit diffamatum nomen tuum.'

Precepitque illos dimittere atque iussit eos invitari ad convivium suum. Sedentibusque cum eo et convivantibus dixerunt regi: 'Dominator, si placet potestati tuae, precipe venire nobiscum mille milites et trademus vobis Darium.' Quibus Alexander: 'Letetur animus vester ad hoc in quibus sedetis, quia pro tradicione vestri senioris non dabuntur vobis mille milites.'

38. Alio itaque die resedit Alexander praecepitque scribere epistolam Dario regi continentem ita: 'Rex Alexander, Filippi filius atque Olimpiadis, terreni regi regni Dario, proximo soli, lucenti una cum Persidis diis, hoc dico: Dedecus est tam lucidissimo atque magnificentissimo imperatori dirigere parvo homini talia verba et manere cotidie in suspicionem, posse ledi a me tu, qui es parens solis et resides in throno Mithrae et fulgis una cum Persidis [diis]. Dii namque immortales irantur, si mortales homines se effici volunt socii illorum. Mortalis ego sum et sic venio ad te quasi cum mortali homine pugnaturus. Quia laudando te dixisti habere plurimas divitias auri, acuisi sensum nostrum et fecisti nos fortiores in virtute, quatenus vestras acquiramus divitias. Tamen tu, qui magnus et excelsus es, cum conveneris pugnaturus mecum et viceris, non habebis laudem, quia latrunculum vicisti. Quod si ego vicero te, maximam acquiram laudem, quia magnificentissimum imperatorem vici. Quia direxisti nobis curvam virgam et speram atque auream cantram, intellego hoc per virgam curvam: curvantur ante me potentissimi reges; per speram rotundam intellego, quia tenebo rotunditatem totius mundi; per cantram auream me esse victoriam intellego et censum ab omnibus recipere, quia et a te, qui magnus es, ego, qui parvus sum, cantram auream recepi.'

39. Hoc taliter scribendo vocavit apocrisarios, donavit illis cantram auream pariter et epistolam ac dimisit eos. Euntes vero missi cepit Alexander preparare se, ut iter caperet. Recepta itaque Darius epistola et relecta iratus est; direxit satrapis suis epistolam tali modo: 'Rex Darius Persarum satrapis meis. Audivimus itaque, quod filius Filippi Alexander Macedo elevatus est in stultitia et intravit in terram Asi[a]e, qu[a]e mea est, et depredavit eam. Quapropter precipio vobis, ut apprehendatis illum

atque adducite illum mihi, sicut tam magnos et fortes viros decet et adiutores mei imperii, ut pueriliter flagellem illum et induam illum purpura et dirigam illum Olimpiadi matri suae in Macedonia, quia non decet ei pugnare, sed stare in provincia sua et ludere ut puer.'

Relegentes itaque satrap[a]e hanc epistolam rescripserunt ei epistolam tali modo: 'Regi Persarum Dario ego Primus et Antiochus satrapes gaudium. Sciat magnitudo vestra, quia ipsum puerum Alexandrum, quem dicitis, dissipasse provinciam nostram congregata multitudine hostium, et pugnavimus cum eo et terga vertimus ei et vix evasimus de manu illius. Nos qui(a) adiutores dicti sumus imperii, necesse est, ut queramus vestram salvationem. Quia dixistis illum induere purpura, sciatis, quia funditus dissipavit Tyriam.'

40. Cum autem legisset Darius hanc epistolam, supervenit ei alter nuntius, quod applicasset Alexander super fluvium, qui dicitur Straga. Iterum scripsit ei epistolam in hoc modo: 'Darius, rex Persarum, dirigo hoc Alexandro. In universo mundo laudatum est nomen Darii, quin immo etiam dii laudant nomen eius. Quomodo ausus es transire flumina et mare et montes et venire contra me? Hoc fuerat tibi magnum nomen, ut sine me tenuisses imperium Macedoniae; sed confortatus es et congregasti socio tuos et vadis pugnando et dissipando civitates. Melius fuerat tibi penitere de malis tuis, quae facis, antequam acciperes a me iniuriam, et absconse fecisses refugium ad me, qui sum dominus, ut non congreges multa mala super te. At tamen gloriari debes in hoc et penitere de malis tuis, quia fuisti dignus a me recipere epistolas.

Verum tamen ut cognoscas, qualis et quanta est mea milicia, significabo illam tibi per hanc sementem papaveris, quam direxi. Vide itaque, quia, si hoc mensurare potueris, pro certo mensurabitur populus meus. Quod si hoc facere non potueris, revertere ad terram tuam et obliviscere, quod fecisti, et amplius non ascendat cor tuum talia facere.'

41. Cum autem venissent apocrisarii ad Alexandrum portantes illi epistolam et sementem papaveris, legit eam tetenditque manum suam et tulit ex ipsa semente mittens in os suum, mandens et dixit: 'Video, quia homines illius multi sunt, sed sicut hoc semen molles sunt.' Supervenerunt ei nuntii significantes illi infirmitatem Olimpiadis matris suae. Quamvis hoc audisset, scripsit epistolam Dario regi continentem ita: 'Alexander rex Dario regi Persarum hoc dico. Plurimae epistolae advenerunt mihi, quae impellunt me, et volente nolente facio, quae dico. Noli cogitare, quod pro pavore atque dubio stultitiae vanae vestrae gloriae recedam de isto loco; pro certo scias, quia reversurus ero videre matrem meam non tantum, ut videam dulce pectus illius, quantum opto videre illam, quia est oppressa valida infirmitate. Sed tamen non post multum tempus rediero renovando me. Iterum dirigo tibi advicem sementis papaveris, quam nobis in mantico mandasti pro inmensurabili numero militiae vestrae, hoc piper, ut cognoscas, quia multitudine[m] papaveris sementis vi[n]cit fortitudo huius parvissimi piperis.' Scripta haec epistola vocavit Alexander apocrisarios Darii deditque illis epistolam et dimisit eos. Deinde coepit redire ad matrem suam.

41. Potentissimus vir, videlicet princeps militiae Darii regis, sedebat tunc illo in tempore cum valida manu hostium super Arabiam. Movit se inde cum toto exercitu. Ex adversa parte stetit ante Alexandrum et coepit acriter pugnare cum eo, et inter se

ex his et illis coeperunt mori. Et valde mane inchoatum est proelium et pugnatum est usque ad occasum solis. Et inter haec neque hi neque alii molles intenti sunt, sed fortiter pugnatum est per continuos tres dies et tam fortiter extitit ipsa pugna, qui obtenebratus est sol compatiendo tali homicidio, nolendo videre tantum sanguinem. Inter haec defecit Amonta, princeps militiae exercitus Darii, et cum reliquis, qui ei superfuerunt, coepit fugere Persidam.

41. Cum tanta velocitate fugierunt, qui ante Darium invenerunt apocrisarios, qui portaverunt ei piper et epistolam Alexandri, tenente in manu Dario epistolam Alexandri. Scrutabatur Darius suos apocrisarios, quid fecisset Alexander ex semente papaveris. At illi dixerunt: 'Apprehendit et momordit et despiciendo dixit: multi sunt, [s]et molle.' Accepto itaque Dario piper mittens in os suum mandens atque dixit cum lacrimis: 'Pauci sunt, sed duriores.' Videndo hoc Amonta dixit: 'Etiam, dominator, paucos pugnatores habet Alexander, sed fortes sunt, (et) quia multos meos milites occidit.'

Alexander vero, quia vicit pugnando, non est elevatus in elatione precepitque militibus suis, ut sepelirent Macedonas atque Persos, quid ceciderunt in ipso prelio.

42. Et post hec applicavit cum ipsa preda in Achaiam, et ibi subiugat[a]e sunt ei mult[a]e civitates, et superiunxit in militia sua decem et septem dena milia. Inde ascendit montem Taurum et venit in civitatem, qu[a]e dicitur Persopolis, in qua sunt novem Mus[a]e. Deinde venit Frigiam in templum, quod dicitur Solis, in quo et offertionem fecit. Inde venit ad fluvium, qui dicitur Scamandro, qui erat in latitudine cubitorum quinque, et dixit: 'Beati estis, qui habetis laudem doctoris Homeri.' Stetit ante eum homo, cui nomen Clitomidis, et dixit: 'Alexander rex, maiores laudes possum facere tibi de tuis accionibus, quam fecisset Homerus, quia plus miraculosas virtutes fecisti quam hi, qui fuerunt Troi[a]e.' Alexander dixit: 'Antea voluissem fieri discipulus Homeri quam habere laudem, quam habuit Achilles.'

43. Et post hec veniente in Macedoniam invenit matrem suam Olimpiadem levare ab infirmitate sua atque letatus est cum ea.

Et post hec exiit de Macedonia venitque in locum, qui dicitur Abdira. Homines autem ipsius civitatis clauserunt ei portas, ut non ingrederetur ibi. Ad hec iratus Alexander praecepit, ut incenderetur ipsa civitas. Homines ipsius civitatis videntes ignem dixerunt: 'Alexander, non rebellando tibi clausimus portas, sed dubitando Darium, regem Persarum, ne audiret de nobis pacem factam tecum, dirigeret et dissiparet nos.' Alexander dixit: 'Aperite portas secundum consuetudinem. Modo itaque non veni pugnare vobiscum; cum autem fecero finem cum Dario, rege Persarum, tunc loquar et vobiscum.' Timendo acquieverunt et patefecerunt portas.

44. Transiit [Bib]o(s)tia et venit in Olintho et inde Chaldeopolis et venit ad fluvium, quid dicitur Xenis. Et oppressit eos fames valida; fecitque diis offertionem militibusque suis apparatus magnum et saturavit eos. Murmurati sunt inter se cuncti milites dicendo: 'Defecerunt caballi nostri.' Quibus Alexander dixit: 'Viri comilitones mei, et si defecerunt caballi vestri, desperastis vos de salute? Quod si nos vivimus, caballos festinanter inveniemus, quia, si nos morimur, non sunt nobis necessarii caballi. Sed tamen festinemus ire in tali loco, ubi cibaria nobis sint et nostris caballis.'

45. Inde ceperunt ire ad locum, qui dicitur Locrus, ubi invenerunt cibaria multa et pascua animalibus. Et inde venerunt in locum, qui dicitur Tragachantes, inveneruntque ibi templum Apollinis et voluit ibi invenire divinationem ab ipsa

virgine Zacora. Cui illa dixit: 'Non est hora divinationis.' Secunda vero vice dixit Apollo: 'Iracli.' Alexander dixit: 'O propheta, mihi est nomen Iracli? Ergo perii divinatio tua.'

46. Deinde movit exercitum et venit Thebaida et dixit Theb[e]is: 'Date mihi quadringentos milites armatos, qui veniant in adiutorium meum.' Statim illi clausurunt portas et nihil locuti sunt ei, sed armati sunt ex eis quattuor milia et ascenderunt murum et tenuerunt eum atque dixerunt: 'Alexander, si non recedis a nobis, pugnamus tecum.' Hoc audito Alexander rex subrisit et dixit: 'Fortissimi milites sunt Thebei; clausurunt se intra portas et sic dicunt pugnare mecum.' Alexander dixit: 'Nullomodo movebo hinc, set stabo et pugnabo contra vos, non quomodo fortes aut civitonicis, set quomodo rustici et sine virtute. Omnis homo fortis, qui pugnare vult, in campum exit, quia non clauditur intus urbem quomodo virgo.'

Set hoc dicendo praecepit mille equitibus suis sagittariis, qui circumirent murum et sagittarent homines ipsius civitatis. Praecepit iterum duo milia militibus suis, ut cum securibus [et] vectes ferreos rumperent fundamenta muri, quas construxit Anfionos et Zithu, et aliis quadringentis praecepit, ut irent cum ardentibus facculis et incenderent portas civitatis et alia tria milia ordinavit, ut percuterent murum cum verberibus. Et ipse Alexander cum fundibulariis atque sagittariis ingressus est civitatem. Port[a]e autem civitatis ardebant et populi de muro cadebant multi moriendo et alii ex muro lapsum faciendo. Stisichorus inimicus gaudebat, quomodo videbat liberari civitatem ex effusione sanguinis.

Quidam homo eiusdem terr[a]e Isminea nomine, melodiam faciens, videns dissipari patriam suam suspirans atque reputans per artem musicam facere ingenium, ut mitigaret animum regis, terra tenus proiectus est in terram ad pedes suos rogansque eum, ut tandem aliquando miseretur civitati. Respexit eum Alexander et dixit: 'O magister, postquam apprehendi istam terram et dissipavi eam, postea fecisti hanc artem.' Cui isminea dixit: 'Proinde hoc feci, ut mitigarem animum tuum et converterem illum in luctum istius civitatis. Si iuste fecisti dissipando hanc civitatem, quia culpavit tibi, intellege, quia et tibi malefecisti, quia et pater tuus et tu ipse Thebeus es. Oportuit te misereri patriae tuae.' Ubi hoc audivit Alexander, iussit a fundamentis evellere murum eius et abiit.

47. Thebei vero, qui remanserunt ex ipso incendio, abierunt Delfim ad aram Apollinis et consuluerunt eum, ut divina responsa redderet eis, si deberetur reedificari Thebea an non. Erat ibi porphetissa; abiit et bibi ex aqua Castalia et prophetizavit et dixit: 'Ille qui hanc civitatem edificaturus est, tres victorias habebit et post ipsas victorias recepturus erit [potestatem] reedificandi ipsam civitatem.' Thebei receperunt hanc divinationem.

Alexander profectus est Corinthum, rogaverun[t]que eum Corinthii, ut luderet cum eis in curribus, conveneruntque ad hoc spectaculum multitudo. Secutus est postea magnus et vir gloriosus Thebeus, cui nomen Clitomagus. Astantibus vero ad hoc spectaculum dixit Alexander: 'Quis ex vobis exiet luctans in ludo isto?' Cui Clitomachus dixit: 'Si placet vestrae potestati, ego recepta potestate pugnandi pugnabo et vinco.' Cui dixit Alexander: 'Si tres victurus eris, coronaberis.' Cepit pugnare et vicit; alias duas vincendo recepit in capite coronam et dixit illi praeconator: 'Dic nobis nomen tuum.' Clitomachus dixit: 'Sinecivitas.' Vidit hoc imperator et dixit: 'O beatissime et pulcherrime certator, ut quid sine civitate?'

Clitomachus dixit: 'Magnissime imperator, antequam tu esses, habui civitatem, nunc autem per te civitatem non habeo.' Intellexit hoc responsum Alexander et dixit: 'Tibi dico, praeconator, vociferare et dic, ut sit Thebeus et potestatem habeat reedificandi atque tenendi ipsam civitatem.'

LIBER SECUNDUS

1. Exiit Alexander inde et venit in locum, qui dicitur Platea, in civitate Athena et introivit in templum Dian[a]e. Erat ibi prophetissa, qu[a]e faciebat sacerdotalem vestem, introivitque ad eam Alexander. Cui prophetissa: 'Bene venisti, Alexander, quia tu debes subiugare omnes civitates.' Hec dicendo donavit ei plurima dona auri. Post aliquot dies Strasagoras, princeps Plateae civitatis, ingressus est et ipse templum, in qua erat prophetissa; dixitque ad eum: 'Quid habes? Scias, quia principatum tuum tolletur a te.' Ille autem non credendo talia dixit: 'Non eris tu digna tenere prophetiss[a]e locum. Alexander ingressus ad te; laudasti et prophetizasti illi bene. Mihi autem prophetizasti male, ut perderem principatum meum.' Cui prophetissa: 'Noli irasci in hoc, quia sic debet fieri.' Post paululum eiecit Alexander Strasagoram ex principatu suo.

Inter haec autem venit Strasagoras cum Alexandro in Athenam et intravit Strasagoras in ipsam civitatem et recitavit illis hominibus, qualiter eum Alexander eiecit de principatu suo. Irati sunt Athenienses et iniuriaverunt Alexandrum. Ubi hoc audivit Alexander, scripsit epistolam et direxit Atheniensibus continentem ita: 'Rex Alexander Atheniensibus hoc dico. Postquam mortuus est pater meus et sedi in throno eius, descendi in occidentis partibus. Plurim[a]e civitates subiugat[a]e sunt mihi; ali[a]e per epistolas subiugat[a]e sunt mihi; receperunt bene et honorem a nobis et secuti sunt me quidam ex eis in proelium; nolentes itaque alii venire ad me in pace, pugnavi eos et dissipavi. Iterum quomodo veni modo a Macedonia per Europam, restitit mihi Theba civitas; apprehendi et dissipavi illam pro stultitia illorum. Nunc autem veni Athenam; dico vobis Atheniensibus et hoc promitto, quia nihil aliud opto a vobis, nisi ut militetis sum meo imperio et me habeatis seniore. Et si non vultis, estote forciores meis; sin autem, subiugamini mihi forciori vestro.'

3. Legentes autem Atheniensibus epistolam rogaverunt Demostenem philosophum, ut daret eis consilium. Ille autem eri[g]ens se annuit manu, imperavit populis silentium et dixit: 'Viri cives mei, commune consilium dabo vobis. Quod si scitis vos tales esse, ut vincatis regem Alexandrum, pugnate cum eo; sin autem, flectamus nos sub potestate manuum eius. Audite similitudinem: scimus regem Xerxen fortissimum atque magnum esse, et cum militibus suis multas fecit victorias, sed sutinuit perditionem. Hic Alexander ecce iam tredecim pugnas exercuit et vicit eas, etiam plurimae civitates, in quibus abiit, sine pugna et sine aliqua altercatione subiugatae sunt ei. Dicite mihi: Tirii non erant fortissimi milites et periti in omnem artem pugnandi? Quod actum est ex illis? Thebei sine virtute erant, qui, ex quo erecta est ipsa civitas, ars pugnandi erat in eis? Quid iterum factum est ex illis? Poliponienses (Corinthii) quantum pugnaverunt cum Alexandro? Scitis iterum, quid factum est ex illis. Pro Strasagora irati estis, quem eiecit de principatu suo? Culpa illius fuit.'

4. Ubi hoc consilium dedit Demostenen, cuncti laudaverunt eum et loqui coeperunt inter se. Iterum Demostenen imperavit silentium dicens: 'Quis rex ingressus est Egyptum pugnare cum Egyptiis nisi solus Alexander? Et istud, quod fecit, non pugnando, sed dii adiuverunt eum querendo divinitatem et adiutorium ab illis. Abiit itaque et subiugavit atque potestate sua redegit Egyptios. Quin etiam nomini suo magnam civitatem ibidem fabricavit, quin immo et ipsi Egyptii rogaverunt eum, ut irent super Persidam in adiutorium eius. Dicite mihi: Syri parvi fuerunt? Nam et illi humiliati sunt atque datum dederunt illi. Et vos vultis pugnare cum eo? Sic nos monendo et tanta data dando militibus nostris tale meritum recipiet a nobis?'

5. Hoc dicendo Demostenen acquievit cunctus populus et statuerunt dirigere illi victoriam coronam pensante[m] libras quinquaginta, sed et apochrisarios, promittens illi dare dacionem pariter et dona; rethorici vero nullomodo mandaverunt ei. Abeuntes vero apochrisarii in Plateas offerendo haec dona regi; legendo ipsam epistolam intellexit consilium Eschillis, qui dixit, ut insurgerent adversus eum, et Demostenes dixit, ut obedierent ei.

Sed tamen scripsit epistolam Atheniensibus tali modo: 'Alexander, filius Filippi atque Olimpiadis. Quousque sub potenti manu Grecorum humiliem cunctos barbaros, nullomodo assumam nomen regis. Ego itaque direxi vobis, ut mandaretis mihi decem rethoricos, non quod aliquam iniuriam sustineant a me, sed ut salutem et honorem illos sicut ma[g]istros. Credite mihi, quia non cogitavi introire vestram civitatem cum militibus meis, sed tantum cum principibus meis atque rethoricos vestros, ut liberarem vos ex omni suspicionem. Et vos contrarium cogitastis de me manifestando indignationem vestram. Tamen Corinthi coeperunt pugnare, sed dignum meritum receperunt a me. Et vos habendo malam conscientiam culpastis mihi. Adhuc non credidistis, quod, si quislibet ex vobis erexisset se et voluisset fieri imperator inter vos, malum non reddideram illi, si bene ei promissem. Audite, Athenienses, de ipsis gloriosissimis rethoricis, quos habetis: Non scio ego, quomodo in carcere habetis Euclidi, quia dedit vobis bonum consilium. Ypostheni persecuti estis, quia dedit vobis consilium salvationis. Socratem interfecistis, qui fuit ductor vester. Et quomodo reprehenditis Alexandrum, quia abstraxi Strasagoram de principatu suo, qui mihi culpavit? At tamen totum hoc finiatur. Promitto vobis, quia dedit vobis consilium Demostenes de salvatione vestra, et vos fecistis illud. Amodo confortamini et salvi estote nullam contrarietatem sustinentes a me.'

6. Inde accepta militia sua perrexit Lacedemonam. Consiliati sunt inter se Lacedemonii: recipiemus eum an non? Alii dixerunt atque statuerunt, ut nullomodo reciperent eum, dicentes, quia: 'nos similes sumus inbecillis Atheniensibus? Ostendamus virtutem nostram Alexandro, quia non sumus similis Atheniensibus, qui dubitaverunt cum eo inire pugnam.' Clauserunt portas et ascenderunt naves et praeparaverunt se ei ad pugnam exeuntes obviam ei ad litus maris, quia plus erant cogniti classico bello quam terreno.

Ubi vidit hoc Alexander, direxit illis epistolam talia dicendo: 'Do vobis consilium, ut custodiatis fidem, quam accepistis ab antecessoribus parentibus vestris. Si per fortitudinem desideratis gaudere, tunc ostendatur fortitudo vestra, quando digni (non) estis a me bene recipere. Nunc autem nolite ostendere gloriam vestram, ne

forte reprehensionem ex vobis ipsis acquiratis, cum vicerit vos Alexander. Pro quo rogo vos, ut exeatis de ipsa navidia vestra per vestram voluntatem, ante quam focus turpiter eiciat vos exinde.'

Cum autem legissent illi hanc epistolam, noluerunt acquiescere verbis illius, set preparaverunt se ad pugnam; impetumque fecit super eos Alexander cum suis militibus. Alii vero vulnerati cadebant per murum; illi vero, qui in navibus sedebant, devoravit eos ignis, quem fecit super eos inmittere; qui vero superfuerunt, venerunt ad pedes Alexandri deprecando misericordiam illius, ut non eos captivaret. Quibus dixit: 'Veni mansuetus; noluistis me recipere. Cum autem concrematae fuerunt naves vestrae, postulastis misericordiam. Tamen non reprehendo vos in hoc, quia proinde fecistis impetum super me sperando vos facere mihi, quem ad modum Xerxen fecistis; set non potuistis sustinere impetum armatorum Alexandri.' Hoc dicendo castra metatus est et fecit diis offercionem. Lacedemoniis vero et civitati illorum donavit libertatem. Deinde ingressus est per partes Ciliciae in terram barbarorum.

7. Darius itaque congregavit principes et sapientes suos et contulit cum eis, quid debuisset facere, et dicebat: 'Ut video, iste, qui sic pugnando vadit, adiungitur in virtute et victoria sua. Ego enim sperabam illum ess latrunculum, ut iret sicut latro depredando. Ille autem sicut rex pugnat et humiliat et, quantum nos exaltari volumus super eum, tanto amplius exaltatur nomen illius. Ego itaque direxi illi speram curvatamque virgam, ut ludum disceret sicut puer. Ille autem, quem dixi esse discipulum, super magistrum veniet suum et, ubicumque pergat, victoria sequitur eum. Unde si placet, cogitemus de salvatione nostra, ut non intendendo in elatione nostra, despiciendo illum, dicendo, quia nihil est Alexander, superbiendo, quia tenemus regnum Persarum, parvitas illis crescit et magnitudo nostra despiciat[ur]. Dubito, ne accrescat illi concedere diadema regni, et, optandonos eicere illum de Ellada, eiciat nos ipse de Persida.' Hoc dixit Darius.

Ocsiather, frater Darii regis, dixit: 'Magnificasti Alexandrum concedendo illi fiduciam in hoc, ut plus exardescat ille ingredi Persidam, dimittendo illi Elladam. Unde si tibi placet, fac sicut facit Alexander, et nunc stabit regnum tuum sine aliqua turbatione et acquiris aliud regnum, quia ille non facit sicut tu, quando vult pugnare cum aliquo homine; [non] satrapes et principes mittit, ut pugnent cum eo; per semet ipsum vadit et pugnat et antecedit omnes principes et omnes satrapas et pugnat viriliter acquirendo sibi nomen atque victoriam.'

Cui Darius dixit: 'Ego debeo accipere ab illo similitudinem?' Cui alius satrapas dixit: 'Alexander in omnibus peritissimus est et in nullo offendit, omnia ipse faciens viriliter; formam et virtutem secundum suam nativitatem leonis habet.' Cui Darius dixit: 'Unde tibi hoc cognitum?' Cui ille: 'Quando perrexi per tuam iussionem Macedoniam tollere censum Philippo patri suo, vidi eum et cognovi sapientiam illius et figuram eius intellexi. Quod si tibi placet, congrega omnes satrapas tuos et dirige in cunctis finibus tuis, quia plurimae sunt gentes Persarum, videlicet Parthi et Medi et Apolloniades, Mesopotamitae et Illirii, non dico longinquas regiones, sicut sunt Itali et Bac[t]rei et Semiramei. Habemus gentes amplius quam centum quinquaginta. Congregentur omnes, et queramus auxilium a diis, quia cum barbari virtute et plenitudine gentium videndo terrorem inmittimus eis.' Alter satrapas dixit: 'Bonum consilium dedisti, [s]et non est aptum. Consilium Grecorum vincet plenitudinem

barbarorum, quia et unus canis maximam gregem animalium spargit.'

8. Hoc consiliando Darius rex congregata multitudine hostium, moram faciente in Cilicia venit [Alexander] ad fluvium Oceanum, ex quo decurrit aqua pulcherrima et fortis. Accidit voluntati eius, ut lavaretur in eo. Quod et factum est. Sed lesio facta est in illo, quia per frigiditatem apprehendit eum dolor capitis, atque egrotavit fortiter. Videntes autem Macedones illum egrotari, valde tristes effecti sunt dubitantes, ut non audiret Darius infirmitatem Alexandri et faceret impetum super eos ac deleret illos. Sanitas itaque Alexandri omnes confortabat.

Quidam iuvenis nomine Filippus, --diligebat eum multum Alexander--erat enim medicus, et promisit Alexandro, ut daret illi potionem atque salvaret eum. Quidam principes milici[a]e, qui tenebat Armeniam, (h)odio habebat hunc medicum, eo quod diligebatur ab Alexandro. Scripsit epistolam et direxit Alexandro dicens: 'Cave te a medico Filippo et noli bibere potionem eius, quia promisit ei Darius rex dare suam sororem in coniugium et faceret eum consortem in suo regno, si occidisset vos.' Cum autem preparasset Filippus potionem dare Alexandro, portavit illam ante eum et, antequam eam biberet, supervenit ei ipsa epistola. Recepit eam ac relegit, antequam potionem biberet, et non est turbatus, quia erat securus de conscientia Filippi. Alexander itaque una manu tenens epistolam, altera apprehendit potionem tenensque illam in manu respiciebat in faciem Filippi. Cui Filippus dixit: 'Magnissime imperator, noli expavescere potionem, sed bibe illam.' Statim ebibit eam et, postquam illam bibit, porrexit epistolam Filippo. Relecta Filippus epistola cognovit contrarietatem suam et dixit: 'Alexander, non sum culpatus, sicut haec epistola dicit.'

Rex autem sanus effectus est vocavitque Filippum, amplexavit collum eius et dixit: 'Cognovisti, Philippe, qualem amorem et quam fiduciam habeo in te, qui ante bibi potionem tuam et sic dedi tibi ipsam epistolam, sciendo simplicitatem.' Cui Filippus dixit: 'Alexander, fac venire ipsum hominem, qui tibi direxit hanc epistolam, quia ipse voluit me tibi talia facere.' Statim Alexander iussit venire Parmenium et inquisivit illum invenitque eum culpabilem, iussit eum decollari.

9. Dehinc movit exercitum suum et perrexit in Med[i]am et in Armeniam magnam et subiugavit eas. Deinde ambulavit dies multos et ingressus est locum aridum et cavernosum, in quo non inveniebatur aqua. Et transivit per locum, qui dicitur Andriaci, venitque ad fluvium Eufraten et applicavit. Iussit afferi ligna et preparavit pontem super ipsum fluvium cum tabulis et catenis ferreis et praecepit militibus suis, ut transirent, simul et omnes apparatus atque cibaria. Post haec iussit militibus suis, ut transirent. Illi autem videntes magnitudinem fluvii, et cursu validissimo dubitaverunt transire, ut non frangerentur catenae. Alexander autem convocavit milites suos et coepit transire primum ipse.

Fluvius itaque Tigris et Eufrates pergunt per mediam Mesopotomiam et Babiloniam et intrant fluvium Nilum. Referunt enim, quia, quando fluvius Nilus pergit in Egiptum, ista flumina evacuantur et, quando iterum egreditur ab Egipto, superabundant ista flumina.

Cum autem transisset Alexander et omnis milicia sua fluvium Eufraten, rediit retro Alexander et fecit incidere ipsum pontem. Hoc videntes milites eius coeperunt dubitare murmurantes inter se ac dicentens: 'Si acciderit nobis, ut fugiamus in prelio,

non erit transitus nobis.' Quibus omnibus dixit Alexander: 'Bene me confortastis, quando talia cogitastis. Et ego proinde feci dissolvere ipsum pontem, ut aut pugnetis viriter et vincatis aut, si vultis fugere, pereatis, quia pugna et victoria non erit his, qui fugiunt, sed de illis, qui insequuntur. Unde vero, quia nullomodo videbitis Macedoniam, nisi prius vicero cunctos barbaros, et tunc cum victoria revertamur, confortetur mens vestra, et fortitudinempugn[a]e estimetur vobis esse iocus.'

Multitudo vero militum Darii applicata erat super fluvium Tigris. Principes militiae erant super eis quinque. Convenerunt in campo Alexander cum suis et principes militiae Darii et acriter pugnaverunt. Stabant enim fortiter et nullomodo cedebant sibi locum. Vir quidam Persarum animo acer, indutus veste et arma Macedonica abiit occidere Alexandrum; mixtus militibus suis stetit post tergum Alexandri; evaginato gladio tam fortiter percussit caput eius, qui et galeam transforavit et caput eius vulneravit. Statimque apprehenderunt eum milites Alexandri et statuerunt illum ante eum. Cui dixit Alexander: 'O strenue vir, quid est hoc?' Cui Persa barbarus dixit: 'Ne estimates me, dominator, Macedonam esse, sed Persarum. Et ego promisi Dario venire, auferre caput tuum; spondit enim mihi dare in coniugio filiam suam et regales provintias.' Tunc Alexander iussit eum monstrari cunctis militibus suis et dixit: 'Viri Macedones milites, convenit omnibus militibus talem habere confortationem.' Et continuo iussit abire illum. Et tunc pugnando fortiter ceciderunt multi barbari et, ut viderunt se minui, in(h)ierunt fugam.

10. Et persecuti sunt eos usque Bactram et applicavit. Alia vero die cepit fortiter pugnare ipsam civitatem et apprehendit eam. Invenitque ibi matrem Darii et uxorem et filios eius. Posuitque in ea solium suum et subiugavit sibi omnes alias civitates. Post haec unus ex principibus militiae Darii presumpsit se venire ad Alexandrum et dixit: 'Dominator Alexander, princeps Darii sum et plurima bona servitia ei feci, et nihil boni ab eo recepi. Quapropter si tibi placeat, da nobis decem milia armatos milites et ego trado tibi principes nostros, sed et ipsum Darium.' Cui Alexander dixit: 'Perge adiuvaturus regem tuum, quia non tibi credunt extranei, postquam pugnare vis tuos.'

Tunc scripserunt Stapsi et Sphictir epistolam: 'Dario regi praeclaro atque deo mango gaudium. Iam antea scripsimus et nuc iterum scribemus adventum Alexandri et cognitum facimus tibi, quia pervenit in hanc terram et dissipavit eam et occidit plurimos ex nobis et sum oppressi in magna angustia. Unde recordamur, ut succurrat nobis tua magnitudo, antequam ingrediatur ad te.'

Recepta hac epistola Darius relegit eam et scripsit epistolam ad Alexandrum tali modo: 'Darius Alexandro dicit: Pervenit in manus nostras epistola de tua superbia, quia cogitas venire prope nos, ut loquaris nobiscum. Quod si hoc poterit fieri, orientales dii pergant habitare in occidente. Non elevetur mens vestra in hoc, quod fecisti. Sic spero, quod mater mea mortua sit et uxorem aliquando non habuissem; unde scias, quia non tacebo inquirendo iuiuriam meam. Scriptum est mihi hoc, quia ostendisti benignitatem erga meos. Tamen ne pigrites aut indulge aris meis vel crucia illos sicut filios inimici. Quantumcunque bene illis feceris, me non habebis amicum et econtra, si male illis feceris, me inimicum non habebis; ultimo namque sententiam mandabo vobis.'

Recepit Alexander haec epistolam et legit ac risit scripsitque illi epistolam: 'Rex

Alexander Dario regi. Superbiam et elationem suae vacuae gloriae odio habuerunt dii. Prout video, non cessas tu blasphemari usque in finem. Quod si bene feci tuis, non feci pro tuo timore. Habeo spem intrandi ad te, proinde ostendi benignitatem meam in eis, ut et tu grato animo illud reciperes. Tamen diadema meum non est similis tuae diademae. Haec epistola mea ultima sit tibi. Cave itaque et habeo mentem in te.'

11. Ubi direxit epistolam, preparavit se et scripsit [e] Celeperses suis satrapis: 'Rex Alexander, precipio: Satrapis ac subiectis meis habitatoribus Syriae et Cappadociae, Ciliciae et Paphlagoniae, Arabis et aliis gentibus sit gaudium. Volo, ut preparatis mihi unusquisque mille vestimenta et mandetis ea in Antiochi(o)am; et pelles animalium mortuorum, ubicumque mortua fuerunt animalia, conficite et dirigite eas similiter in Antiochiam, ut militibus omnis parata sint scilicet et vestimenta atque calciamenta; cameli ordinati sunt ab Antiochia, ut portent ea usque Eufraten et omnem necessitatem. Gaudete.'

Unus ex principibus Darii significavit ei omnia per epistolam tali modo: 'Nostadi Dario deo dirigo gaudium. Non oportuerat me vobis talia scribere, sed quasi per fortia scribo vobis videndo talia. Sciat vestra sublimitas, quia duo magni principes mortui sunt et ego vulneratus. Coxari fortiter vulneratus est et fugiendo abiit in finibus suis. Potentissimi atque plurimi preclari milites nostri iunxerunt se Alexandro regi, honoravitque eos et imperiales provincias illis concessit. Civitas Mitriadis cum templo igne succendit.'

Darius itaque scripsit satrapi suo Nostadi haec, ut pararet se cum omnibus suis, sed et alii Dario pertinentes quatinus resisterent gentibus Macedoniae, quia nullomodo letantur ad id, quod presumpserunt facere. Scripsit interim et aliam epistolam ad Porum, ut et ipse preberet ei adiutorium.

12. Porus, rex Indorum, rescripsit epistolam Dario regi Persarum: 'Quomodo direxistis nos rogando, ut venissemus in adiutorium vestrum, parati fuimus et sumus, sed impedit nos infirmitas, quam habemus; quia et nobis durum est de hac iniuria, tamen in proximo recipies milites meos; sed et aliae gentes, quae procul sunt a vobis, venient in adiutorium vestrum.'

Cum autem audisset mater Darii, quod preparasset se iterum facere pugnam cum Alexandro, direxit illi epistolam: 'Dario regi, mater dirigit illi gaudium. Audivimus itaque, quia congregas alias gentes et vis pugnare cum Alexandro. Quod si totum mundum adunare potueris, nescis, quid exinde fiat, quia victoriae concessae sunt. Dimitte sensum altitudinis tuae et reclina paululum et ne multum presumas, quia perdis vitam. De nobis autem scias, quia in maximo honore aput eum sumus. Inducis malum super nos et facis nos perdere honorem, quem apud eum habemus. Fili mi, noli preparare matri tuae angustiam, quia fiducia est mihi, si volueris, venire te in bono ordine cum Alexandro.' Perlecta Darius hac epistola flevit veniendo illi in memoriam parentes suos; turbatus est valde.

13. Inter haec autem Alexander movit exercitum suum et cepit ingredi terram Darii et appropinquavit ei ita, ut Macedones viderent sublimissimum locum ex civitate Darii. Hoc ingenium fecit sapientissimus Alexander: evellens [h]erbas ramosque arboris ligans ea in pedibus equorum, ut maiorem pulverem facerent, ita ut

viderent eam Perses et miraretur.

Erant enim ab ipsa civitate itinere dierum quinque et applicavit. Dixitque Alexander senatoribus suis: 'Inveniamus hominem, quem mandemus Dario, ut prepararet se et quando exeat nobis ad pugnam.' Dormivit ibi viditque in somno Ammonem deum in forma Hermi portantem dominicalem clamidem atque Macedonicam vestem et dixit illi: 'Fili Alexander, quando necesse est adiutorium, paratus sum nuntiare tibi. Vide, quem missum dirigere volueris, sed dico, ut induaris figuram meam et pergas tu ibi. Periculosa enim res est ire regem per missaticum, sed quia deus est in adiutorium tibi, nullum sustinebis angustiam.' Qua hora vidit hoc somnium, evigilavit et gaudio repletus recitavitque illud amicis suis. Dederuntque ei consilium, ut ita faceret.

14. Vocavit autem fidelissimum sum satrapem, cui nomen Eumilo; portans secum tres velocissimos caballos, unum residens ipse et alium princeps militiae, tertius pergebat vacuus; pergebant ambo et (h)abierunt ad fluvium, quid dicitur Stragan. Iste fluvius hiemali tempore pernicio gelu coagulatus se et prebet iter transeuntibus. Tota nocte permanet coagulatus, mane vero cum incaluerit sol, dissolvit se et efficit se profundissimum et, quicunque ibi ingressus fuerit, absorbet eum. Cum venisset Alexander ad ipsum fluvium et invenisset eum coagulatum, induit se figuram, quam viderat in somno. Principem militiae dimisit ibi cum duobus caballis et ipse cum caballo suo transiit. Erat enim fluvius in latitudine unius stadii. Satrapa enim illum rogabat, ut transiret cum eo, ne eveniret illi aliqua angustia. Cui dixit: 'Exspecta me hic, quia in meo adiutorio veniet ille, qui mihi apparuit.'

Abiitque ad portam Persidae civitatis. Videntes autem eum Perses mirati sunt in figura eius, estimantes illum deum esse, interrogaverunt eum: ['Quis es tu?'] Respondit: 'Apocrisarius regis Alexandri sum.' Tunc in monte erat Darius vociferando et congregando multitudinem hostium et portaverunt eum Dario regi. Vidensque eum Darius indutum vestem Macedonicam adoravit eum ut deum, cogitans illum esse Mithram deum descendentem de caelis, interrogavit eum: 'Quis es tu?' Cui ille: 'Apochrisarius sum regis Alexandri missus ad te, dicens tibi, quia: moram facit exire preliari in campo cum inimicis suis; timidus est atque pavidus. Unde si tibi placet, constitue diem preliandi.' Cui Darius: 'Forsan enim tu es Alexander, qui cum tanta audacia loqueris? Non loqueris sicut nuntius, sed sicut idem ipse Alexander. Tamen hoc scias pro certo, quia audacia tua nullomodo conturbat me. Sed tamen manduca hodie mecum sicut missus, quia et Alexander sedit ad cenam cum missis meis.'

Tendensque manum suam apprehendit eum per dexteram introducens eum in palacium suum. Alexander cogitans in corde suo tenere palacium inimici sui, quasi signum faciens ei apprehendendo eum per manum dexteram. Ingressusque triclinium eius, in quo erat convivium preparatum, sedit Alexander, sederunt et principes Darii facie ad faciem.

15. Perses itaque sedentes in convivio despexerunt vultum Alexandri, eo quod esset parvus, sed ignorabant, qualis virtus et qualis audacia erat in tali vasculo. Pincernae vero ferebant sepius pocula. Mediante vero convivio cogitavit hoc facere Alexander: cum porrectus fuisset illi poculus aureus, bibisset et misisset eum in sinum suum. Allatus est autem illi vas aureum, bibit et fecit sic, deinde usque ad

secundum et tertium. Fertores vero, cum vidissent hoc, nuntiaverunt Dario. Erexit se Darius et dixit: 'O fortissime vir, quid est hoc, quod agis? Quare abscondis vasa aurea in sinu tuo?' Cui Alexander: 'Noster senior sedens in convivio donat militibus suis vascula, cum quibus bibunt.' Cogitaverunt enim sedentes in convivio, quod talis consuetudo esset apud illos. Intulitque Alexander: 'Quod si talis consuetudo inter vos non est, reddo ea vobis.' In hoc tacuerunt omnes.

Unus autem princeps militiae sedens in convivio, cui nomen Anepolis, sedens facie ad faciem cum Alexandro--viderat enim eum tunc, quando direxerat eum Darius Macedoniam Phylippo tollere censum--intuens in faciem eius coepit cogitare in corde suo: 'Nonne iste est Alexander?' Intelligens enim vocem et signa illius accessit propius Dario et dixit: 'Domine, istum missum quem vides, ipse est Alexander, filius Phylippi.'

Cognoscens autem Alexander, quia loquebantur de illo et de agnitione eius, exiliens de sedio suo vidit quenquam Persam tenendo in manu facculam tollensque eam illi percussit eum, ascendit equum et (h)abiit. Perses vero insequabantur eum armati cum omni velocitate. Alexander portans in manu facculam, tenens iter rectum--erat enim obscura nox--insequentes eum cadebant in foveas.

Sedente vero Dario in sedio suo vidit signum, quia cecidit domus Xerxen regis et statua eius, et doluit. Alexander venit ad fluvium Stragan et transiit. Cum autem transisset alteram ripam, dissolutus est fluvius et, antequam de fluvio exiret, mortuus est caballus et tulit eum fluvius. Alexander vero remansit in terra, iunctus principi militiae suae reversus est ad suos.

16. Congregata omni militiae sua pervenit ad numerum centum viginti milia hominum; ascendit in eminentiorem locum et confortavit milites suos dicens: 'Multitudo hominum nostrorum non equabitur multitudini Persarum, quia multipliciores nobis sunt. Sed non conturbet nos multitudo illorum, etiam si centupliciter essent, quia nullam lesionem facere prevalet multitudo muscarum parvitati vespium.' Audientes hoc laudaverunt eum.

Darius itaque movit exercitum suum et venit ad fluvium Stragan et transiit, ut pugnaret cum exercitibus Alexandri. Erat enim exercitus Darii magnus valde et fortis, habebat denique falcatos currus. Cum autem venisset utrisque hostis in campum, tunc ascendit Alexander equum, qui dicitur Bucefalo, et occurrit et stetit in medio ante omnes. Videntes eum Perses, dubitabant enim ire super eum, eo quod divinitas cooperiebatur eum. Mixtus est inter se utrisque hostis et pugnavit acriter et ex ambabus partibus sonabant tubae. Fortior enim erat sonus pugnantium quam sonus armorum, et defecerunt ex utrisque multitudo militum. Erat enim sagittariorum plenitudo maxima et cooperuerunt ipsum aerem sagittis sicut nubes, alii manu ad manum pugnantes, alii vero sagittis atque lanceis. Et erat planctus in eis et tribulatio maxima et ceciderunt ex parte Darii. Videns autem Darius, quia corruissent sui, fugam iniit, fugierunt et Perses. Multitudo currum falcatorum fugiens occidebant suos et cadbant sicut messis in campo. Veniens autem Darius ad ipsum fluvium et invenit eum coagulatum, transiit. Plenitudo vero postergum veniens ingressa est; venientes vero in medio loco dissoluta est nix et plurimi mortui sunt. Alii autem applicantes ad ipsum fluvium et, cum transire non potuissent, insequentes eos Macedones occidebant illos.

Fugit autem Darius et ingressus est palatium, prosternens se super faciem suam in terram, ex alto pectore dura trahens suspiria, quia perdidit tantam multitudinem hominum, et plorando dicebat: 'Heu me, qualis caelestis tribulatio apprehendit Persidam, quia humiliatus est Darius, qui subiugavit atque in suam potestatem redegit gentes; nunc autem fugax et subiectus factus sum. Quod si cognitum fuisset homini, quid in futuro accidisset ei, in presenti aliud cogitaret. In puncto articulo unius diei veniet, quod [h]umiles exaltantur super nubes et sublimes humiliantur usque ad tenebras.'

17. Erigens se iterum et rediit in sensu suo, scripsit epistolam continentem hunc modum: 'Darius rex dominatori meo Alexandro gaudium. Recordor tuam clementiam, quia et tu sicut homo natus es. Sufficit enim homini, in quo sapientia esse videtur, cum [h]abuerit victoriam, ut non elevetur amplius mens eius. Quia Xerxen, qui mihi lumen tribuit, multas victorias plurimaque habuit prospera, sed quia ultra modum elevata est mens eius, sustinuit turpitudinem in Ellada, ille, qui plurimas divitias auri habuit, sicut tu ipse vidisti apud nos. Recordare, quia superna divinitas concessit tibi hanc victoriam. Sed quia refugium facio ad te, inpende mihi misericordiam. Scis enim nos nostramque magnitudinem atque nativitatem. Concede nobis matrem atque uxorem seu filios nostros et ad vicem promitto tibi dare thesauros, quos habeo in terra Miniada et Susis et Mactra, quos thesaurizaverunt parentes nostri suptus terram et constituo te dominum Medis et Persis cunctis diebus vitae tuae. Esto salvus et concessa sit tibi victoria a Jove.'

Relecta hac epistola ab Alexandro unus a principibus miliciae, nomine Parmenius, dixit: 'Alexander, tolle tibi cunctas has, quas promittit, divitias et redde ei matrem et uxorem et filios.' Cui Alexander: 'Tollo ego has divitias, sed miror, si Darius per datum vult recolligere matrem et uxorem et filios. Si victus est Darius, mihi datum non repromittat; si iterum pugnare vult et vicerit nos, utinam salvare valeamus nosmet ipsos, quanto magis, ut teneamus matrem eius et uxorem ac filios.' Dimisit homines ipsos praeciens eis, ut talia dicerent Dario, et deinde praeciens militibus suis, ut irent et colligerent corpora mortuorum et sepelirent ea, vulneratos autem adducerent et inferrent illis medicinam.

Aliquantos autem dies hiemavit ibi et fecit diis offerationem commendans militibus suis, ut pulcherrima palatia Xerxen regis comburerentur, et post paululum paenitentia ductus precipiens, ut nullomodo comburerentur.

18. Erant enim in ipsis locis sepulcra mortuorum, et fodientes ea invenerunt sepulcrum olovitreum, qui eciam aforis apparebat corpus hominis et capilli eius. Invenerunt ibi turrem, in qua erant et multi truncati homines, et erant ibi in custodia. Clamaverunt ad Alexandrum misericordiam postulantes, ut liberaret eos. Ipsa custodia erat pessima. Iussit eos abstra[h]i de ipsa custodia; vidit eos, doluit et ploravit et praecepit illis dare per unumquemque dragmas mille et restituit illis proprietates suas.

19. Inter haec autem preparavit illi Darius et aliam pugnam. Scripsit epistolam ad Porum, regem Indorum: 'Darius rex regum regi Poro gaudium. Nuper direxi te deprecando, ut faceres nobis adiutorium contra illos, qui conati sunt dissipare palatium nostrum, quia haec bestia, quae venit super nos, ferocem mentem habet et tempestatur animus eius sicut maris. Volui recolligere ab illo matrem et uxorem et

filios et offerre illi munera, sed noluit acquiescere. Quamvis sine mea voluntate pugnabo et alia vice cum illo; congregabo gentes multas et certabo usque ad mortem, quia melius est mihi mori in bello quam videre desolationem meam et gentis meae. Unde vigeat misericordia vestra super miseriam meam et adiuvate mihi, ut salver ab angustia mea, in qua positus sum, revocans in memoria tua ordinem parentum nostrorum. Congregamini et parate vos ad portas Caspiae. Datum dabo omnibus hominibus, qui vobiscum advenerint; per unumquemque mensem dabo pedestribus hominibus solidos tres, equiti vero quinque; cibaria illorum et omnia, in quibus necesse habuerint, ego retribuam. Spolia vero illorum, qui capti fuerint, medietatem tibi dabimus. Caballus vero Bucefalon et imperiale paramentum tuum sit. Et ubicumque applicatus fueris, dabo tibi centum octoginta iuenculas cum ornamentis earum. Cum receperis epistolam hanc, festina venire.'

Fugientes vero homines Darii ad Alexandrum nuntiaverunt ei omnia haec. Rex autem Alexander, ubi hoc audivit, preparavit se et abiit Mydiam, statuens in corde suo et dixit omnibus, ut nullomodo vocaretur imperator, si regnum Darii non optinisset. Nuntiatum est Alexandro, quod prepararet se Darius rex et iret ad portas Caspiae, expectaret eum ibi. Statim Alexander coepit ire illuc. Cum vero audisset Darius adventum Alexandri, timuit valde.

20. Inter haec significatus est Bysso et Ariobarzani adventum eiusdem Alexandri; cogitaverunt occidere Darium estimantes bonam recipere remunerationem ab Alexandro occidendo Darium, inimicum eius. Haec eis cogitantibus evaginatibus gladiis abierunt occidere illum. Cum autem vidisset eos Darius, dixit illis: 'O karissimi mei, qui ante fuistis servi, nunc vero domini, quare me vultis occidere? Plus sunt enim Macedones honorati quam vos? Recedite a me, nolite mihi hoc malum facere; dimitte me; sufficit mihi tribulatio mea. Si me occiditis et venerit Alexander et invenerit me occisum quasi a latronibus, vindictam faciet his, qui me occiderint. Non est gaudium imperatori invenire mortuum alium imperatorem in fraude.' Ferientes autem illi cum gladiis et illi preparabant manus; dimiserunt eum semivivum.

Transeuntes autem fluvium Stragan Macedones cucurrit Alexander et ingressus est palatium Darii. Cum autem audisset ingressum Alexandri hi, qui percusserunt Darium, abierunt et absconderunt se volentes intellegere voluntatem Alexandri de hoc, quod factum est. Dum ingrederetur Alexander in palatium Darii, invenit(que) eum semivivum iacentem in terra et flevit exuens de se clamidem imperialem et cooperuit eum et amplexatus est vulnera eius flens ac dicens: 'Surge, domine Dari, surge et, sicut aliquando fuisti dominus totius imperii tui, recipe diadema Persarum et esto gloriosus, sicut usque hactenus fuisti. Iuro tibi, Dari, per potentissimos deos, quia veraciter abrenuntio tibi imperium tuum, pariter et tecum opto frui cibariis tuis, quia nullus imperator debet gaudere in tristicis imperatoris, dum ab eo fortuna leticiae recesserit. Dic mihi, Dari, qui fuerunt hi, qui te percusserunt, ut victor existam de inimicis tuis.'

Hoc cum magna angustia dixisset Alexander, extendit manum suam Darius, blanditer amplexans eum, osculans illi manus et pectus et dixit: 'Fili Alexa[n]der, non elevetur mens tua in victoriali gloria, quam habuisti. Etiam si opera operaveris, qua [e] operarunt dii, et manum tuam usque ad caelum tetenderis, semper recordare

novissima: fatualis gloria non est data soli imperatori aut simplici homini, sed cui ea fatum providentiae dederit. Intuere me et vide, qualis fui hesternae die, qualis sum hodie, quia miser ego humiliatus sum usque ad pulverem. Dominator fui Kyron et plurimarum terrarum aliarum et nunc in memet ipso non habeo potestatem. Sepeliant me benignissimae manus tuae. Veniant in obsequium meum Perses et Macedones et amodo Persarum gens atque Macedones efficiantur in unum regnum. Ego miser commendo tibi Rodogoni matrem meam, ut sit tibi in memoria matris. Vigeat benignitas tua uxori meae. Roxani filiam meam accipe tibi in coniugium; ex bonis parentibus nati filii iungantur in unum, tu de Filippo, Roxani de Dario.' Haec dicente Dario in manibus Alexandri emisit spiritum.

21. Secundum morem imperialem composuit Alexander corpus eius et cum magno obsequio antecedentes ei armati Macedones et Perses. Alexander autem supponens collum suum portavit lectum illius una cum Persis. Plorabat enim Perses non tantum pro morte [Darii], quantum pro pietate Alexandri et sepelierunt eum.

Cum autem sepelissent eum in imperiali sepulcro, tale edictum dedit Alexander Persis: 'Rex Alexander, filius Ammonis dei et Olimpiadis reginae, omnibus civitatibus his et populis Persarum precipio hoc: Gauderem utique, si tantus hic non defecisset populus; sed quia voluit deus Ammon constituere me victoriam [in] Persidam, oportet me referre diis gratias. Volo interim, ut per unamquamque civitatem sint principes rectores sicut temporibus Darii regis et oboediatis eis. Unusquisque homo in potestate sua habeat proprietatem suam. Omnia arma precipio ut recondantur in domibus regalibus. Volo denique, ut locuples et omni bono sit plena haec terra, et hoc precipio, ut ab hac provincia Persida et usque Ellada omnis iter apertum sit, ut euntes et redeuntes cum negotiis nihil paciantur mali. Qui vero vindictam fecerunt de inimico meo Dario, accedant, ut videam illos et dignum honorem exhibeam eis, quia bonum servitium fecerunt mihi. Quicumque occidisset eum sive Macedo seu Persas, veniat ad me nihil dubitans. Per potentissimos deos iuro et per dilectam matrem Olimpiadem, quia preclarissimos atque potentissimos illos facio inter omnes homines.'

Taliter ille iurando omnis populus flevit Persarum. Iniquissimi et homicid[a]e Byssos et Ariobarzani, interfectores Darii, astiterunt voluntarie ante eum dicentes: 'Dominator, nos sumus hi, qui occidimus Darium, inimicum tuum.' Quo audito fecit eos apprehendere ac ligari et duci eos super sepulcrum Darii, ut capita eorum truncarentur. Vociferantes autem ipsi ac dicentes: 'Dominator, vide, quia iure iurando iurasti nobis per potentissimos deos et per salvationem matris tuae.' Quibus Alexander: 'Vobis non loquor, sed pro populo, qui circumstat, dico hoc: Manifestatio vestra nullomodo fuerat, si tale sacramentum non fecissem. Intentio mea talis fuit ab initio, ut, si inventi fuissent homicidae illius, occiderentur. Illi enim, qui proximum suum dominum occidunt, extraneo quid faciunt?' In hoc autem vociferatio magna facta est inter Persas laudantes eum quasi deum. Homicidas autem illos decollari precepit.

22. Totam autem provinciam Persidam in pace ordinavit et constituit rectores in omnibus provinciis. Tunc illo in tempore erat ibi Duriti, avunculus Darii; per petitionem totius populi Persarum ordinavit eum ducem in Persida. Secundum praereceptionem Darii regis fecit venire Roxani, filiam eius, accipiens eam in uxorem

et una secum fecit eam sedere in regali throno, ut adoraretur ab omnibus sicut regina. Tunc omnes Perses levaverunt deos suos et adduxerunt eos ante Alexandrum laudando et celebrando nomen illius dicentes, quia: 'nunc fecisti, quod diis placuit.' Quibus Alexander: 'Nolo, ut exhibeatis mihi honorem sicut diis, quia corruptibilis et mortalis sum. Dubito enim sociare me diis.' Scripsit matri suae epistolam, ut coleret nuptias suas in Macedonia de Roxani, filia Darii, quam acceperat uxorem. Completis vero diebus nuptiarum congregavit iterum milites suos.

LIBER TERTIUS

1. Et cum audisset, quod Porus, Indorum rex, venisset in adiutorium Darii regis, coepit ire contra eum in Indiam ambulans per spatiosam terram desertam, et transivit per flumina inaquosa et per colles cavernosos et fatigatus est una cum militibus suis, qui etiam omnes principes sui dicebant sic: 'Sufficit, quia venimus pugnando usque Persidam; subiugavimus autem Darium, qui antea censum tollebat Macedonibus. Quid deficiemus, querendo Indiam in locis, in quibus bestiae habitant, et obliviscimur terram nostram? Hic Alexander nihil aliud optat facere nisi ire perliando et subiugando sibi gentes. Nos dimittamus eum; ille eat, quo vult.'

Audivit hoc Alexander, stetit dixitque omnibus: 'Separamini abinvicem, Perses in una parte, Macedones et Greci in alia.' Intuens autem Macedones et Grecos dixit: 'O commilitones mei Macedones et Greci, Pers(id)es isti contrarii sunt mihi et vobis. Si posuistis in cordibus vestris, ut contrairetis mihi, redite postergum et ite in patriam vestram. Tamen recordamini hoc, quia et istos solus vici et, ubicumque iero facere pugnam cum barbaris, superabo illos. Scitote interim, quia, quando consiliatus sum vos, confortat[a]e sunt animae vestrae, quando venimus pugnaturi in campo. Numquid non steti ego solus ante omnes et solus pro omnibus pugnavi? Numquid non ego solus pro salvatione vestra et totius patriae nostrae abii missus ad Darium regem et tradidi me in multis periculis? Quod ergo si vultis pergere soli Macedoniam, pergite, quia ego vobiscum non venio, ut cognoscatis, quia nihil valet facere milicia absque consilio regis.' Haec dicente Alexandro erubescerent milites postulaverunt veniam dicentes: 'Amodo vita nostra in vestris manibus sit posita; quodcumque vis facere, fac.'

2. Et post aliquantos dies venerunt in finibus Indi[a]e et obviaverunt ei missi deferentes ei epistolam a rege Poro continentem ita: 'Indorum rex Porus latroni Alexandro, qui latrocinando optinet civitates, precipio: Cum sis mortalis homo, quod prevales deo facere? Quod anxias persequendo homines, qui digni fuerunt sustinere angustiam? Cum mollibus hominibus et qui nullam habuerunt virtutem, pugnasti et, quia vicisti eos, speras te esse victorem omnibus hominibus. Victorialis et ego sum, et non solum homines obaudiunt mihi, sed etiam dii. Venit aliquando Dionisius, qui dicitur, diffamatus pugnaturus in India, sed terga vertit ante illos et fugit, quia sustinere virtutem Indorum non potuit. Quapropter antequam tupitudo tibi eveniat, dabo tibi consilium et precipio, ut festinanter revertaris terram tuam, quia, antequam Xerses fuisset, nobis dabant Macedones censum. Sed quemadmodum inutilis terra et placabilia esse videntur, dedignavimus illam. Omnis itaque homo plus desiderat amplam causam quam parvam. Ecce [tertio] te contestor, ut revertaris et, ubi

dominationem habere non poteris, desiderium ibi non habeas.'

Pervenit haec epistola Alexandro; relegit eam coram omnibus et dixit: 'Viri commilitones, fortem animum vestrum non conturbent iterum Pori regis epistolae. Recordamini verba epistolarum Darii regis, quomodo superbe et cum audacia locutus est. Veritatem dico vobis, quia omnes barbari communem sensum habent; adsimilati sunt bestiis videlicet tigri, pardo et ceteris aliis; bestiae itaque confidentes in agresti virtute sua habent exinde audaciam et raro occiduntur ab hominibus.'

Haec loquente Alexandro scripsit epistolam tali modo: 'Rex Alexander Poro regi gaudium. Acuisti sensum nostrum et prebuisti nobis audaciam, qualiter pugnaremus contra vos. Dixisti iterum, quia in Macedonia nihil boni inveniretur, sed neque esset fertilis terra et omni bono atque dulcedine efflueret India. Proinde toto mentis conamine pugnamus, ut acquiramus ea. Quia dixisti, ut omnis homo plus diligeret amplam causam quam parvam, nos, qui parvi sumus, ad magnitudinem vestri culminis venire optamus, quam Greci non habent. Quod autem dicebat vestra epistola, quod non solum hominibus, sed etiam diis existeres imperator, ego ita pugnaturus venio quasi cum homine et barbaro et qui se multum extollit et non quasi cum deo, quia arma unius dei totus mundus sufferre non poterit, et non sine causa, quia, si elementa huius aëris, videlicet tonitrua et fulgura et plenitudo aquarum, sustinere non potuerunt indignationem deorum, quanto magis homines? Quin immo scias, quia stuta elatio tua me non conturbat.'

3. Relegit hanc epistolam Porus et iratus est congregataque multitudine militum suorum atque elefantos multos, cum quibus Indi pugnare soliti erant, exierunt illis obviam. Videntes Macedones atque Perses, qui cum Alexandro erant, preparationem atque multitudinem Indorum expavescentes turbati sunt non tantum plenitudinem hominum quantum ferarum. Ferebat enim secum Alexander statuas aereas et sapienter cogitans mittens eas in ignem, ut calefierent, faciensque receptaculum ferreum ignium, ut sustineret eas et portaret ante elefantos. Videntes autem elefanti cogitaverunt esse homines, tendentes rostra sua secundum consuetudinem, ut caperent eos, pre nimio calore incensi sunt, redeuntes retro moriebantur. Aliae vero exturbatae nullomodo pergebant pugnaturi super homines. Videns autem Porus, quod de feris factum est, turbatus est valde. Perses vero impetum facientes super Indos cum sagittis et lanceis fugaverunt eos, quamvis ex his et illis maxima strages hominum facta fuisset. Videns autem Alexander iratus est, sedens caballum Bucefalon ingessus est pugnam, proeliavit fortiter, quin etiam adiuvens eum non modice ipse caballus. Et per continuos viginti dies pugnabant inter se.

4. Videns autem Alexander, quia defecerat populus, stetit solus ante hostem et locutus est Poro regi: 'Non decet imperatori sic in vacuum perdere victoriam suam, sed oportet, ut per semet ipsum rex ostendat virtutem suam. Stet populus tuus in una parte et meus similiter; ego et tu solitarii pugnemus manu ad manum. Quod si me occideris, populus meus sit tuus; quod si econtra in manibus meis defeceris, populus tuus computetur mihi.'

Audiens haec Porus gavisus est et promisit se ita esse facturum, indignum ducens corpus Alexandri, confidens in altitudine sua; habens enim cubita quinque despiciens Alexandrum, quia habebat in altitudine cubita tria. Recedente vero et stante in suo ordine utroque hosti pugnatum est ab illis ambobus, et vociferaverunt milites Pori.

Audiens Porus vociferationem suorum tornavit caput. Impetum faciens Alexander plicatis pedibus exiliens super eum percutiensque illum gladio et vitam finivit. Et tunc acriter pugnatum est ab his et illis. Stans autem Alexander dixit illis: 'Miseri, post mortem regis vestri utquid pugnat?' Cui illi dixerunt: 'Quia nolumus subdere vobis terram nostram, ut depredetur.' Quibus Alexander: 'Cesset nunc pugnatio et ite liberi ac securi in domos vestras, quia non presumpsistis vos pugnare populum nostrum, sed rex vester.' Haec dicente castra metatus est et fecit sepelire Porum.

Et inde congregato magno apparatu exercitus abiit Oxidracis. Oxidraeces vero non sunt superbi homines neque pugnant cum aliquo. Nudi enim ambulant et dicuntur gymnosofistae. In tuguriis habitant non habentes civitatem neque habitationes.

5. Cum autem audisset rex gentis huius adventum Alexandri, misit ad eum honoratos suos cum epistolis dicendo sic: 'Corruptibiles gymnosofistae Alexandro homini scribimus. Audivimus, quod venias super nos. Quod si pugnaturus veneris, nihil lucri acquiris, quia, quod tollere aut quod auferre a nobis, nil invenies et illud, quod habemus, nullomodo audet quis inde aliquid tollere, nisi quantum divina providentia ei concesserit. Quod si pugnare vis, pugna, quia nos simplicitatem nostram non dimittimus.' Relegit hoc Alexander et mandavit illis dicendo: 'Et nos pacifici venimus ad vos.' Statim ingressus est ad eos intuens illos omnes ambulare nudos et habitare in abditis tuguriis et in speluncis. Filii vero et uxores eorum separati erant ab illis cum animalibus.

6. Alexander vero interrogavit unum ex illis: 'Non sunt sepulcra vobis?' Ostendit ei (s) habitationem suam dicens: 'Hic, ubi habito, sufficit mihi.' Et dixit omnibus Alexander: 'Quaerite, quod vultis, et dabitur vobis.' Cui illi: 'Da nobis immortalitatem.' Quibus Alexander: 'Mortalis cum sim, immortalitatem vobis dare non possum.' At illi dixerunt: 'Et si mortalis es, quare vadis discurrendo et faciendo tanta ac talia?' Quibus ille: 'Ist[a]e caus[a]e non gubernantur nisi de superna providentia; ministri eius sumus facientes iussionem illius. Mare nullomodo turbatur, nisi cum ventus ingressus fuerit. Volo quiescere et recedere a pugnis, sed dominus sensus mei non me dimittit hoc facere. Si omnes unius intellegenti[a]e fuissetus, totus mundus sicut ager unus fuisset.'

[7-16. vacant]

17. Dicens hoc Alexander cepit ire et fatigatus est multum in ipso itinere, quia erant ibi loca inambulatoria. Scripsit epistolam Aristoteli de causa, quae ei acciderat:

I. Alexander Aristoteli gaudium. Admirabiles causas, quae nobis acciderunt, dignum est, ut significantur vobis. Postquam percussimus Darium et subiugavimus Persidam et cepimus ire ad Caspiae portas, venimus ad quendam fluvium, qui habebat in medio civitatem coopertam [cannis]. Barcellae erant in ipso fluvio.

II. Applicavimus ibi hora diei tertia. Aqua ipsius fluvii erat amara nimis velut elleborum. In circuitu ipsius civitatis erat fluvius quasi stadia quattuor. Quidam audaces ex nostris iuvenes evaginatis gladiis nudi ingressi sunt fluvium triginta septem; sugentes besti[a]e ipsius fluvii, quid dicuntur yppopotami, et devoraverunt eos.

III. Girantes autem fluvium ex alia parte perreximus superius et invenimus

stagnum mellifluum ac dulcem. Applicavimus ibi et fecimus succendi focum. Hora vero tertia noctis exeuntes subito ferae silvestres venerunt ad ipsum stagnum bibere aquam. Erant ibi scorpiones longitudine cubiti unius mixti inter se albi et rubei. Videntes autem eos venit super nos maxima angustia, qui etiam quidam ex nostris mortui sunt. Venerunt ibi et leones mir[a]e magnitudinis et rinocerotes. Omnes istae bestiae exiebant ex arundineto ipsius stagni. Et erant inter eos porci silvatici magni vale forciores leonibus habentes dentes per longum cubitum unum. Erant ibi pardali et tigrides et scorpiones atque elefanti et homines silvatici habentes sex manus; similiter et feminae eorum. Inter haec habebamus maximas angustias, quia occurrerunt super nos; cum lanceis et sagittis eiecimus eas a nobis. Posuimus focum in ipsis silvis, ut fugerent ipsae ferae.

IV. Venit super nos bestia mir[a]e magnitudinis fortior elefanto, odontotirannos, et fecit impetum veniendi ad nos; nos autem discurrentes huc atque illuc confortando milites, ut adiuverent se; ex alia parte irruens bestia occidit ex nostris viginti sex. Quidam autem milites armati occiderunt eam.

V. Sequenti vero nocte exeuntes vulpes ex arena et corcodili ex arundineto et comedebant corpora mortuorum. Volabant ibi et vespertiliones tam magni ut columbae; dentes eorum ut dentes homines; mordentes homines, tollentes illis nares et aures atque digitos manuum.

VI. Movimus inde et venimus in campum, qui dicitur Actia, et applicavimus ibi. Erat in circuitu eius condensa silva, et erant ibi arbores fructifer[a]e, ex quibus nutriebantur homines argrestes, habentes formam ut gigantes induti vestimeno pellicio. Exeuntes cum longis contis occiderunt ex nostris. Videntes autem defecisse nostros precepimus nostris militibus, ut vociferarent. Nos autem magnis vocibus acclamantes, quia non erat illis cognitum audire vocem hominum, timuerunt et fugerunt in ipsam silvam. Nos autem insequentes illos occidimus ex eis sexcentos triginta quatuor. Ceciderunt ex nostris centum viginti septem. Stetimus ibi tres dies comedentes poma ipsarum arborum.

VII. Deinde venimus ad quendam fluvium, in quo erat civitas locuples valde. Hora vero incumbente nona venit super nos quidam magnus homo agrestis, pilosus ut porcus. Precepi militibus meis, ut apprehenderent eum. Impetum autem facientes super eum neque timuit neque fugiit, sed stetit intrepidus. Precepi autem venire puellam et iussi eam expoliari atque mitter ante eum. Ille autem impetum faciens apprehendit eam et stetit in parte. Cucurrimus, ut tolleremus eam illi; mugiit ut fera et quamvis cum maxima angustia apprehendimus eum. Precepit illum ligari et occidi in ignem.

VIII. Iterum movimus inde et venimus in alium campum, in quo ab hora diei prima exiebant arbores et crescebant usque in horam sextam. Ab [h]ora autem sexta usque ad occasum solis descendebant subtus terram. Ist[a]e arbores ferebant fructus odoriferos. Precepique quibusdam hominibus meis, ut tollerent ex liquore ipsarum arborum. Illi autem accedentes propius, exierunt demones et flagellarunt eos. Audivimus vocem de celo allatam precipientem nobis, ut ne unus quidem incideret aliquid ex ipsis arboribus, quia, si factum fuerit, moriemini. Erant ibi et mitissima volatilia. Qui autem volebant eos tangere, exiebat ignis et incendebat eos.

IX. Venimus in fines Oceani maris, in quo sunt cardines caeli. Audivimus in ipso mari loquentes homines linguam Grecam. Quidam vero ex militibus nostris exuentes se vestimentis suis voluerunt ingredi per mare ad ipsam insulam. Surgentes besti[a]e, quae vocantur carcyni et apprehenderunt viginti milites et submerserunt eos in profundo maris.

X. Abinde venimus ad quendam locum, in quo erat arbor, quae non habebat fructum neque folia, et sedebat super avis, quae habebat super caput suum lucentes radios sicut sol, quae vocabatur Fenix.

XI. Deinde venimus ad montem, et erat sub eo ripa, in qua pendeat catena aurea, et habebat ipse mons grados duo milia quingenti ex saffiro. Ascendi aut(t)em ipsum montem cum aliquantis militibus meis et inveni ibi palacium habentem limitarem et superlimitarem et fenes[tras] et timpana et cymbala ex auro. Et erat templum ibi totum aureum et erat ibi lectus cum preciosa lectisternia. Iacebat ibi unus homo magnissimus atque clarissimus, indutus veste alba, bambicea, ornata ex auro et lapidibus preciosis. Vidi ibi et auream viniam ferentem botros ex lapidibus preciosis adoravique ipsum hominem et descendi.

XII. Deinde perrexi per continuos quindecim dies et veni in terram, quae dicitur Prasiaca. Cognoscentes autem habitatores terr[a]e illius adventum nostrum adduxerunt nobis xenia, pelles ex piscibus, habentes figuras ex pelle pardoleonis, et pelles murenarum longitudine cubitorum sex.

18. Erat ibi et civitas murata ex monte sine calce et precis lapidibus. Primatum ipsius regni tenebat quaedam femina vidua, nomine Candacis, habebatque tres filios. Direxi illi epistolam: 'Rex Alexander Candacis regin[a]e gaudium. Dirigo tibi templum et statuam Ammonis, ut venias et eamus simul ad montes atque offeramu ei.' Rescripsit et illa mihi: 'Candacis, regina Merois, regi Alexandro gaudium. Revelatum tibi fuit ab Ammone, deo tuo, ut ires et pugnares Egyptum; concessum enim tibi fuit ab ipsis diis. Nos itaque claras ac lucidas habemus animas plus quam hi, quid apud te sunt. Dirigo tibi aureos vipedes centum, set et infantulos Et(t)hiopes centum et intelligibiles aves psittachos ducenti et spingas ducenti; Ammoni itaque deo dirigo coronam ex lapidibus preciosis videlicet ex smaragdine et margaritis, sed et insertas catenas decem ex preciosis lapidibus. Mandavimus et vobis cluvas decem ex auro; cantras aureas triginta et elefantos quadringenti quinquaginta, rinocerotes octoginta, pantheros tria milia; pelles pardoleonis quadringenti; vectes ebenos mille quingenti. Et dirige nobis dicendo, si subiugasti totum mundum.

19. Inter missos suos direxit peritissimum pictorem, ut diligenter consideraret et depingeret figuram illius atque adduceret eam illi. Quod et factum est. Unus ex filiis Candacis regin[a]e, cui nomen Candaulis, cum paucis equitibus abiit ad tabernaculum Alexandri. Custodes autem, qui vigilabant super exercitum, apprehenderunt eum atque portaverunt illum Ptolomeo, qui secundus erat ab Alexandro. Cui Ptolomeus: 'Quis es tu?' Et ille: 'Filius Candacis regin[a]e sum.' At ille: 'Quare huc venisti?' 'Exivi cum uxore mea exercere me cum paucis equitibus. Rex Bebrecorum sciendo pulcritudinem uxoris meae venit super me cum valida manu, tulit mihi uxorem meam; etiam, quia volui defendere me, occidit plures milites meos.' Cui Ptolomeus: 'Expecta.'

Interim exiliens de tabernaculo suo abiit ad tabernaculum regis, in quo dormiebat, excitans eum, referens illi omnia, quae audierat ab ipso iuvene. Quo audito surrexit tollens diadema capitis sui, coronavit Ptolomeum, cui et dixit: 'Revertere tabernaculum tuum, et sed in solio regali et dic: 'Ego sum Alexander rex' et praecipe homini tuo, ut faciat venire ad te quasi Antigonom hominem tuum, et veniad ad me et adducat me ante te quasi hominem tuum. Et dum venio ante te, recita mihi omnia ante ipsum iuvenem, quaecumque tibi dixit, et interroga me sub persona Antigoni(s) ut dem tibi consilium, quid exinde facere debeas.' Et ita factum est. Cui Alexander astante Candauli dixit: 'Domine, precipe mihi, et ego pergo hora noctis et supervenio ipsam civitatem ac succendam eam igni et facio, ut per vim reddant uxorem eius.'

20. Et statim adoravit eum Candaulis et dixit: 'O sapientissime Antigone, optimum fuerat, ut tu fuisses res Alexander et non fuisses subiectus illi.' Quod et factum est: abiit hora noctis silentio et succendit ipsam civitatem igni. Evigilantes autem homines ipsius civitatis clamaverunt dicentes: 'Quid est hoc?' At illi dixerunt: 'Candaulis est cum plurimo hoste, ut reddatur uxor eius. Sin alias, moriemini omnes per ignem.' Irruentes autem homines ipsius civitatis fregentes portas palatii abstrahentes inde uxorem Candaulis reddiderunt eam illi. Volvens se Alexandro dixit: 'Mi karissime Antigone, crede mihi atque promitto tibi et rogo te, ut venias mecum ad matrem meam, quatenus reddat tibi dignum meritum et offerat tibi dona regalia.' Gaudens Alexander dixit: 'Eamus ad Alexandrum et postula me ab illo et ego venio tecum.' Significavit hoc antea Ptolomeo, et tunc abiit Candaulis et petiit eum ab illo. Accepta licentia abiit cum eo.

21. Cum autem issent per viam et vidisset Alexander altos montes pertingere usque ad nubes, miratus est. Viditque excelsas arbores portantes poma grandia ut cedrus habentes et botros uvae magnos valde, quales portare non potuerat unus homo. Vidit et nuces sicut pepones. Erant et dracones in ipsis arboribus et scimiae multae. Et post paucos dies venimus in civitatem Candacis reginae.

22. Exiit ad nos foras portans auream coronam, longa atque pulcra nimis. Visum est Alexandro, quod quasi matrem suam vidisset. Palatium vero eius erat optimum, et fulgebat tectum ipsius palatii, quasi aureum esset. Lectisternia eius erant ornata ex purissimo aere; fialae erant ibi ex lapidibus preciosis, sed elephantinas mensas vidimus ibi; triclinia vero ipsius palatii erant constructa ex lapide onichino; columnae ipsius palatii erant ex ebano. Falcatos currus ibi vidimus sculptos in lapide porfiretico apparentes nobis, quasi currebant. Vidimus ibi et elefantos sculptos in eadem petra quasi conculcantes homines cum pedibus suis. Suptus ipsum palacium currebat fluvius habens claritatem aquae quasi auro. Vidi hoc et miratus sum. Illo namque die comedi cum fratribus Candaulis.

Alio namque die apprehendit me Candacis regina per manum introducens me in cubiculum, quod erat constructum ex lapidibus habentes aureum colorem; lucebatque intus, quasi sol refulsisset ibi. Vidi et ibi triclinium ex lignis asiptis, qui non incenduntur ab igne. Vidi ibi et aliud cubiculum constructum super ligna maxima cum rotis et trahebant eum viginti elefanti. Dixique reginae: 'Istae causae dignae fuerant ammirari, si apud Grecos fuissent.' Irata est regina et dixit: 'Veritatem dicis, Alexander.' Qui ubi audivit nomen suum, expavit. Cui illa: 'Quare mutata est facies tua, quia vocavi te Alexandrum?' Cui ille: 'Domina, Antigonus nomen est mihi,

non Alexander.' At illa: 'Ego ostendo tibi, quomodo Alexander es.' Introduxitque eum cubiculum suum et monstravit illi imaginem suam et dixit: 'Agnoscis hanc imaginem?' Cepit pallescere et contremiscere Alexander. Et illa: 'Quare mutatus est color tuus et expavescis, destructor tocius Persid[a]e, destructor et Indi[a]e, superans Indos atque Parthos? Modo sine militibus, sine aliquo conflictu cecidisti in manu regin[a]e Candacis. Unde scias, Alexander, quia nullomodo debet elevari cor hominis in elatione, qualiacumque sequantur eum prospera, et ne cogitet in corde suo, quod non inveniatur alium hominem fortiolem sibi, qui eum super(h)abundet.'

In hoc cepi stridere dentibus et tornavi me in aliam partem. At illa: 'Cur irasceris et quare conturbatus es? Quid nunc facere poterit imperialis gloria tua?' Et ille: 'Irascor, quia non habeo gladium.' Dixit et illa: 'Si habuisses gladium, quid facere potueras?' Et Alexander: 'Quia traditus sum per meam voluntatem, primum occidam te, postea memet ipsum.' Cui illa: 'Et hoc, quod dixisti, sicut sapiens imperator dixisti. Sed tamen, ne contristeris, quia, sicut tu adiuvasti et liberasti uxorem filii mei de manibus inimicorum suorum, sic et ego eruo et liberabo te de manibus barbarorum, ut non occidaris, quia, si notum fuerit illis de adventu tuo, occidunt te, quomodo tu occidisti Porum, Indorum regem, quia et uxor iunioris filii mei filia Pori est.'

23. Et exiit foras iterum tenens me per manum et dixit filiis suis: 'O filii Candauli et tu, o filia Marpissa, demus aliquod bonum huic misso Alexandri.' Respondens alius filius eius, Carator, dixit: 'O mater, verum, quia Alexander direxit abstrahens uxorem fratris mei de manibus inimicorum et reddidit eam illi; set uxor mea compellit me hunc occidere Antigonum pro Alexandro, quia occidit Porum, patrem eius, ut recipiat pro eo dolorem Alexander.' Candacis dixit: 'Quod nomen acquirimus, si hunc occiderimus?' Ad hec respondit Candaulis: 'Me iste salvavit et uxorem meam mihi reddidit; salvum eum adduxi usque huc salvumque restituo usque ad locum suum.' Cui Carator: 'Quid est hoc, quod dicis? Modo in isto loco moriemur ambo?' Et Candaulis: 'Ego nolo hoc; quod si tu vis, paratus sum.'

Videns autem Candacis, quia volebant se occidere filii sui, angustiata est. Apprehendit me portansque secreto dixit: 'Alexander, non ostendis in hoc aliquam sapientiam, ut non occidantur pro te filii mei?' Cui Alexander: 'Dimitte me ire loqui cum eis.' At illa dimisit eum. Abiitque et dixit: 'Carator, si me occidis hic, habet Alexander rex multos missos meliores mei. Si vultis, ut tradam vobis ipsum inimicum vestrum, date mihi, quod postulo, et iuro vobis, quia hic in palacio vestro adduco Alexandrum.' Pacificati sunt inter se fratres et crediderunt hoc atque promiserunt ei per singulos facturos mihi dona. Vocavit me iterum Candacis regina occulte et dixit: 'Beata fuisset ego, si cotidie potuissem te habere prae oculis quasi unum ex filiis meis, ut vicissem omnes inimicos meos.' Quando autem dimiserunt me ire, fecerunt mihi dona regalia et coronam ex precioso lapide adamantino seu et broniam et stellatam clamidem.

24. Movi me inde et profectus sum et abii in criptam, quam monstravit mihi Candaulis dicens, quod ibi comedissent dii. Et antequam ingrederer ipsam criptam, feci diis offerationem et ingressus sum et vidi ibi caligines et inter ipsas caligines vidi lucentes stellas et apparitiones idolorum. Vidi et quidam recumbentes lucidos habentes oculos sicut lucernas. Unus autem ex illis dixit mihi: 'Ave, Alexander.' Et ego: 'Quis es tu, domine?' Et ille: 'Ego sum Sesonchosis, regnum mundi tenens et

mundum subiugans, faciens omnes subiectos. Nomen autem mihi non est sicut tu habes, qui in tuo fabricaveris Alexandriam. Tamen ingredi amplius et tunc videbis.'

Et vidi iterum aliam caliginem et quendam deum sedentem in sedio regali et dixit mihi: 'Quid est hoc?' adiungens: 'Nativitas sum ego dorum.' Ego: 'Te vidi in terra Libiae et modo huc esse videris.' Cui ego dixi: 'O Serapis, dic mihi, quantos annos adhuc victurus sum?' Et ille: 'Hanc causam, quam interrogas, oportet, ut nullus mortalium eam sciat, quia, si cognitum fuerit homini dies mortis suae, tanta tribulatio accidit ei, quasi omni die moriatur. Fabricaturus eris civitatem pergloriosam, quae exstat in toto mundo. Plurimi enim imperatores pugnaturi sunt eam, sed nullus ibi aliquid nocere poterit. ibi et fabricabitur sepulcrum tuum, ubi recondetur et corpus tuum.' Exiens inde venit ad milites suos et movit inde exercitum suum.

25. Applicavit ad Amazones, dirigens eis talem epistolam: 'Rex Alexander ad Amazones gaudium. Pugnam, quam Dario fecimus, credimus, quia non est vobis incognita, et sicut pugnavimus Indiam atque alias gentes, quae resistere nobis nullomodo potuerunt. Quapropter scribimus vobis, ut persolvatis nobis datum, quia non veniemus super vos aliquod malum facere, sed bene.'

Ad haec rescript sunt haec: 'Amazones, potentissim[a]e atque fortiores omnibus militiis, Alexandro gaudium. Scripsimus et significavimus, ut, antequam venias in fines nostras, cogites, quomodo venias, ne forte patiaris turpitudinem. Scias, quia habitatio nostra est ultra fluvium in quadam insula, cingens eam in giro ipse fluvius; et neque initium neque finem habet et ex una parte habemus angustum introitum. Et sumus numero habitantium feminarum ducenta quatuordecem milia, quae non sunt coinquinatae a viris. Viri nullomodo habitant inter nos, sed ultra fluvium in alia parte. ; Quod tollere a nobis nil invenies. ; Si vis scire conversationem nostram, talis est. Per unum quemque annum celebramus festivitatem Iovis et Ifesti; celebramus ipsas festivitates per triginta dies et sic transimus videre viros nostros et gaudent nobiscum per triginta dies. Qui vult manere in leticia cum sua uxore, tenet eam per unum annum. Quod si mulier parturiens peperit masculum, tenet eum secum pater et post septem annos reddet eam matri suae. Quod autem pugnaturae venimus cum aliquo, sum numero decies dena milia equitantes. Ali[a]e autem custodiunt insulam nostram et obviamus inimicis nostris usque ad ipsos montes. Viri autem nostri insequuntur posteriora nostra. Cum autem revers[a]e fuerimus ab ipso prelio cum victoria, adorant nos viri nostri, et si quis ceciderit ex nobis, hereditant nobis ill[a]e, quae supervixerint. Unde oportet, ut stemus nos et pugnemus monstrantes victoriam contra vos. Quod si vos viceritis nos, nullam habebitis laudem, quia feminas vicistis; cave, imperator, ne contingat tibi. Significavimus tibi consuetudinem, quam omni anno facimus. Tu autem considera et fac, quo facere debes, et scribe illud nobis, quia, si pugnare volueris, ad ipsos montes exiemus obviam tibi.'

26. Relegit hanc epistolam Alexander et risit. Scripsit hanc epistolam et misit eis: 'Tres partes huius mundi apprehendimus et victoriam contra illos fecimus; et si vobiscum non pugnamus, turpitudinis est nobis. At tamen dabo vobis consilium, si vultis perire et dimittere terram vestram, ut non habitetur, sicut dixistis venite et exite obviam nobis in montibus. Et si non vultis perire, ingredimini fluvium et sic loquamur in unum; similiter et viri vestri veniant in campum et loquantur in unum. Iuro vobis per patrem meam et per Eram et Athenam, deas nostras, quia nullum

malum patiemini a nobis. Datum autem, quod vultis, date nobis. Equites autem femineas, quantas vultis, mandate nobis, et per unam quamque feminam dabimus annades quinque excepto quod eis fecerimus, et post tempus dimittemus eas venire in terram suam. Considerate et scribite nobis.' Ill[a]e enim cogitantes direxerunt mihi polletros decem et caballos blancos.;

28. Et inde profectus sum ad palacium Xersen regis. Et invenimus in ipso palatio ammirabilia cubicula erantque coturnices tam magn[a]e sicut columb[a]e et loquebantur regibus linguam humanam atque dicebant illis, quantos annos viverent.

29. vacat

30. Vidi ibi et alia miracula, quae scribo Olimpiadi matri meae: Cum essem in Babilonia, antequam exissem de hoc seculo, vidi mulierem, quae genuit filium, qui erat ab umbilico et sursum ut homo, ab umbilico usque ad pedes erat bestia; similitudinem habebat canis. Cum autem peperisset haec filium mulier, cooperuit eum adduxitque eum Alexandro regi, mandans, ut loqueretur illi aliquid secretum. Ille autem erigens se a somno iussit eam venire. At illa: 'Tibe exire omnes. Secretum habeo indicare tibi.' Discooperiens infantulum monstravit eum illi. Cum vidisset eum Alexander, miratus est. Et iussit vocari ariolos; dicens illi: 'Dic mihi, quod signum est hoc?' Suspirans dixit: 'O rex, appropinquabit tempus tuum, ut exeas de hoc seculo.' Cui Alexander: 'Dic mihi, quomodo?' Dixit illi: 'Potentissime rex, medietas corporis, quae habet aspectum hominis, tu es; pars autem, quae versa est in bestiam, homines sunt, qui post te veniunt. Ex qua re plora homines, quia pro te factum est hoc signum.' Audiens autem Alexander tristis effectus est et dixit: 'O Iuppiter, oportuerat enim, ut dies obitus mei in pace finiretur, ut hoc, quod consideravi, perficerem; et quia sic placet tibi, recipe me tertium mortalem.'

31a. Mater vero illius multis vicibus scripserat Alexandro de Antipatro; et angustiabatur. Consideravit Antipater facere causam et fecit, offerens illi malum nomen. Dubitavit pro hac causa Antipater ad Alexandrum venire mittensque ad maleficum fecit eum venire ad se, rogans eum, ut daret ei venenosam potionem. Quod et factum est. Talem illi potionem dedit, qui non erat vas, quod susineret fortitudinem eius. Fecit cantrellam ferream et posuit eam intus et dedit eam Cassandro, filio suo, mandavitque eum in servitium Alexandri et ut loqueretur fratri suo Iolo et ordinaret, quomodo daret venenum bibere Alexandro. Accidit atuem illo in tempore, ut percuteret Alexander Iolum in capud non habentem culpam. Ex qua re ipse iuvenis dolore coactus consensit potionare eum recepitque potionem grato animo, ut potionet mirabilem Alexandrum, qui diligebat eum.

33. Alexander autem consiliavit cum amicis suis et scripsit epistolam Aristoteli continentem ita: 'Precipimus tibi, Aristotele, ut ex thesauro regali mandes nobis auri talenta mille, ut tollant illud sacerdotes Egypti, qui serviunt in templo, in quo conditurum est corpus meum. Quia et in vita mea cogitavi, quis rector sit vos post meam mortem, custos corporis mei et gubernator vestri Ptolomeus erit.

Non sit in oblivione testamentum meum, quia dico et dispono hoc: Quod si Roxani, uxor mea, genuerit ex me filium masculum, erit verster rex et inponite illi nomen, quale vobis comparuerit; quod si filiam femina genuerit, eligant sibi Macedones regem, qualem voluerint. Arideus, filius Filippi, sit princeps in Arida

terra; Simeon notarius sit princeps Cappadoci[a]e et Peflagoni[a]e; Niciot[a]e sint liberi et eligant sibi seniore[m], qualem voluerint; Lici[a]e et Pamfili[a]e atque Frigi[a]e sit princeps Antigonus; Cari et Casandro teneant usque ad fluvium, qui dicitur Sol; Antipater Ciliciam; Siriam magnam Pithoni; Babiloniam Seleucio(n); Fenicis et Suriam Meneagro; Egyptum Ptolomeo; detur ei uxor Cleopatra et sit princeps super omnes satrapas Babiloni[a]e et usque Bactriam.' Quando autem hoc scripsit Alexander, facta sunt tonitrua et fulgora horribilia et contremuit totus hostis.

271. Venerunt inde ad fluvium, qui dicitur Titan; obviaverunt ibi homines terr[a]e illius ferentes ei elefantos quinque milia et armatos currus centum milia.

Aristotelis scripsit Alexandro regi ita: 'Regi Alexandro Aristotelis gaudium. Obstupesco et toto desiderio opto [invenire] laudem, quam tibi referam, testes sint mihi deus Iuppiter et deus Poseidon, quia ex precipuis et preclaris causis sis dignus. Quapropter immensas diis referimus grates, qui tantas victorias ac talem virtutem tribuerunt tibi, et quia omnes victus es, te autem nullus vicit nec apprehendere potuit. Cum autem audissemus, quod cecidisses in maximis angustiis hiemalibus et estibus, et sicut diximus, ammirabilis est omnis operatio tua; beati principes, qui obaudierunt tibi et adiuvaverunt tibi; Scith[a]e et Ethiopes optemperaverunt tibi; tu autem, rex, equalis es diis.'

Deinde perrexit Babiloniam. Exierent Babilonii et magno honore honoraverunt eum. Statim fecit offerationem diis.

27II. 1. Est scripsit epistolam matri suae: 'Olimpiadi dilect[a]e matri gaudium. Quantum fecimus a principio usque dum venissemus Asiam, significatum est tibi. Iterum notum sit tibi, quantum fecimus inantea. A Babilonia cepi ire coadunato populo meo numero centum milia.

2. Venimus ad columnas Eraclii. Invenimus columnas duas, unam auream et aliam argenteam, habentem in longitudine cubita duodecim et in latitudine cubita duo. Perforantes eas invenimus eas ex auro. Penituit me, quod perforavi eas, et clausi foramen illarum et posui ibi aurum pensante solidos mille quingenti.

3. Movimus inde et ingressi sumus desertum; invenimus loca frigida atque obscura, ut pene non agnosceremus nos. Et exinde iteravimus septem dies et venimus ad fluvium calidum invenimusque ibi mulieres Amazonas speciosas nimis portantes [h]orrida vestimenta, tenentes argentea arma in manibus et equitantes. [A]es et ferrum non invenietur ibi. Iungentes non in venientur ibi. Iungentes nos ad ipsum fluvium minime transire potuimus, eo quod esset altitudo et latitudo illius magna valde; plenusque erat reptilibus et bestiis magnis valde.

4. Abinde venimus ad mare rubrum. Et erat ibi mons altus; ascendimus eum et quasi essemus in celo.

5. Cogitavi cum amicis meis, ut instruerem tale ingenium, quatenus ascenderem caelum et viderem, si est hoc caelum, quod videmus. Preparavi ingenium, ubi sederem, et apprehendi grifas et ligui eas cum catenas, et posui vectes ante eos et in summitate eorum cibaria illorum et ceperunt ascendere celum. Divina quidem virtus obumbrans eos deiecit ad terram longius ab exercitu meo iter dierum decem in loco campestri et nullam lesionem sustinui in ipsis cancellis ferreis. Tantam altitudinem

ascendi, ut sicut area videbatur esse terra sub me. Mare autem ita videbatur mihi sicut draco girans ea et cum forti angustia iun[c]tus sum militibus meis. Videntes me exercitus meus acclamaverunt laudantes me.

6. Venit iterum in cor meum, ut mensurarem fundum maris. Feci venire astrologos et geometricos precipique illis, ut construerent mihi vasculum, in quo valerem descendere in profundum maris et perquirere ammirabiles bestias, quae ibi habitant: 'Nisi tali modo: faciamus doleum olovitreum et ligetur catenis et regant eum fortissimi milites.' Hoc audito [Alexander] precepi cito talia facere et tali modo perquisivi profundum maris. Vidi ibi diversas figuras piscium atque ex diversis coloribus; vidi ibi et alias bestias habentes imagines terrenarum besti[ar]um ambulante per fundum maris quasi quadrupedia. Veniebant usque ad me et fugiebant. Vidi ibi et alias ammirabiles causas, quas recitare non possum. Gaude, mi karissima mater.' ;

31b. Yolus, quem superius diximus, acquisivit sibi socios et confederatus est eis, ut venenum bibere daret Alexandro et moreretur. Cum autem sedisset Alexander in convivio cum principibus ac militibus suis, cepit letari atque iocundus esse ultra modum. Yolus autem, caput tanti mali, cogitavit in fiala porrigere venenum Alexandro, exspectavit, qua hora hoc faceret. In medio autem convivio factus est [h]ilaris et cepit amplius atque amplius letari. Et dum loqueretur militibus suis, subito petiit bibere. Yolus, infector tanti mali, porrexit ei venenum et dum bibisset, subito clamavit voce magna, quasi lanceam dedisset illi aliquis in iecore. Paululum continuit se atque sustinuit dolorem et surrexit a convivio et dixit principibus suis ac militibus: 'Rogo vos, sedete, comedite, bibite atque letamini.'

32.1. Illi autem turbati sunt et surrexerunt a mensa et quamvis forinsecus steterunt, ut viderent finem. Alexander autem voluit vomere, quaesivit pennam, ut mitteret eam in guttur suum, ut vomeret. Yolus autem invenit pennam ac linivit eam veneno et porrexit illi et misit in guttur suum. Ex qua re coepit eum urgere venenum amplius atque amplius. Cum autem in tali dolore vexaretur Alexander, totam noctem duxit insomnem. Alia vero die, cum intellexisset Alexander dolorem suum et vidisset se positum esse in malo, qui etiam et lingua eius arescebat, fecit venire omnes milites suos et cepit monere eos, ut pacifice et bene inter se viverent. Cassander vero pergebat per homines ipsos, cum quibus coniurationem fecerat pro interitu Alexandri, confortans eos ac dicens: 'Scitote, quia male habet Alexander.' Et exspectabant adventum Yoli, ut intellegerent mortem Alexandri.

2. Facta vero [h]ora noctis precepit omnibus exire de cubiculo suo, pariter et Roxani, uxorem suam. Cum autem exissent omnes, precepit cuidam familiari suo, ut aperiret regiam, quae erat super descensum fluvii Eufraten, et nemo stetit ibi. Erexit se media nocte de stratu suo et extinxit lucernam et, quia non valebat erectus ire, manibus pedibusque per terram cepit pergere ad ipsum fluvium, ut dimurgeretur in eo et tolleretur eum reuma ipsius fluvii. Abiens autem prope fluvium volvens caput suum vidit Roxani uxorem suam sequentem se cursu validissimo. Tunc enim illa vigilabat et vidit eum, quando exivit. Adproximans illi eiecit se super eum amplexans atque dicens: 'Heu me miseram, dimittis me, Alexander, et vadis temed ipsum occidere.' Cui ille: 'O Roxani, rogo te, ut non sciat aliquis finem meum, quamvis non fuisses digna gaudere mecum.' Quamvis reduxit eum ad lectum suum dicens illi: 'Si finis tua

venit, ordina primum de nobis.'

3. Statim fecit venire notarium et precepit scribere testamentum. Tunc erat ibi quidam homo Perdica nomine; vidit, quia moreretur Alexander. Cogitavit in corde suo, quod Ptolomeo dimitteret regnum, tradens illi in coniugium Olimpiadem matrem suam, quae vidua est. Abiit et dixit ei: 'Si facturus fueris rex in regno Alexandri, quid mihi bene facturus es?' At ille dixit: 'Facio,' dans illi sacramentum.

4. Diffamatum est per cunctum populum mors Alexandri. Presentaliter erexerunt se cuncti Macedones et ceperunt vociferari dicentes: 'Scitote, quia omnes occidemus, si non monstratis nobis seniolem nostrum.' Ille autem in stratu suo, in quo iacebat, audivit turbationem eorum, interrogavit, quid hoc esset. Illi autem, qui erant cum eo, dixerunt: 'Congregati omnes Macedones cum armis volunt nos occidere dicentes: Ostendite nobis seniolem nostrum.' Quid fecit Alexander? Precepit militibus suis, ut tollerent eum cum ipso lecto et ponerent eum in eminentiore et spatioso loco, ut posset ab omnibus videri. Et tunc fecit introire omnes ante se cum uno vestimento. Introierunt per unam partem et exierunt per aliam, unusquisque osculans eum, suspirans ille fortiter. Fletus ingens ac ploratus magnus erat in eo loco quasi tonitruus. Credo interim, quia non soli homines ploraverunt ibi, sed etiam pro tam magno rege sol tristatus est. Quidam Macedonas, Pelucos nomine, manens in simplicitate sua stans prope lectum Alexandri dixit illi: 'Alexander, Filippus, pater vester, bene gubernavit regnum, quod tenuit; sed bonitates tuas quis estimare poterit?' Tunc erexit se Alexander et sedit. Percuciens pectus suum cepit flere amariter et voce magna lingua Macedonica coepit dicere: 'Heu me, Alexander moritur et Macedonia minuetur.' Tunc Macedones, qui astabant: 'Melius fuerat nobis omnibus mori tecum, quia post mortem tuam regnum Macedoniae non stabit. V[a]e nobis, ubi nos dimittis.' Alexander sepius suspirans et plorans dixit: 'O Macedones, nomen vestrum amodo super barbaros non dominabitur.'

34. Tunc direxit Athena[m] in templum Apollinis peplon, id est trabe[a]m auream, et auream sedem. Similiter et omnibus templis direxit. Iussit afferri mel de nisiotia terra et praecepit, ut post mortem illius (ut) ex eo ungueretur corpus eius, et murram terrae Trocloditicae. Haec duae causae incorrupta servant corpora mortuorum. Cum autem mortuus fuisset, posuerunt eum in curru suo portantes eum a Babilonia usque ad Alexandriam. Tunc Ptolomeus pergebat ante currum suum clara voce plorando: 'O fortissime Alexander, non occidisti tantos in vita tua, quantos occidis post mortem tuam.'

35. Fuerunt anni vit[a]e illius triginta tres ac decem et octo annis cepit committere bellum. Septem itaque annos pugnavit acriter, octo annos quievit et in [h]ilaritate et iocunditate vixit subiugans sibi gentes barbarorum viginti septem. Fabricavit civitates duodecim, quae usque [h]actenus habitantur. Natus est mense Tinbia primus, obiit mense Farmuthi ingrediente die quarta. Milites itaque sui habuerunt post mortem eius maximam tristitiam. Talis interim fuit vita magni Alexandri regis.

Civitates itaque, quas fabricavit, haec sunt: Prima autem Alexandria, quae dicitur Iprosoritas, secunda Alexandria, quae dicitur Yepiporum, tertia Alexandria, quae dicitur Yepibucefalon, quarta Alexandria, quae dicitur Ycratisti, quinta Alexandria, quae dicitur Yaranicon, sexta Alexandria, quae dicitur Scithia, septima Alexandria, quae dicitur sub fluvio Tigris, octava Alexandria, quae dicitur Babilonia, nona

Alexandria, quae dicitur apud Troadam, decima Alexandria, quae dicitur Masateugas, undecima Alexandria, quae dicitur Iprosxanthon, duodecima Alexandria, quae dicitur Egyptus.